8.45. E.8

NAZIONALE
8
45 E
8
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
ROMA
V · e · 48
H. J.
XIII 4 50

8-45 E-8

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI TRENTA IC.

NOBILIS ASCULANI

L I M O N

S I V E

URBANARUM QUAESTIONUM

LIBRI TRES.



D.PROB.ROM.S.J.

R O M AE

Apud Aloysium Perego Salvioni typographum Vaticanum
In Archigymnasio Romano

M. DCC. LXXXII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IGNATIO
BONCOMPAGNIO LUDOVISIO
CARDINALI

Philippus Trenta
S. P. D.

CUM Te diu animadverterim, IGNATI Cardinalis ampliſſime, a ſummis bene beateque regendae Provinciae cogitationibus curiſque vix respirantem, in bonarum artium ſtudiis ac ſevera ſcriptorum lectione, quaſi in placido quodam ſa-

Digitized by Google

pientiae portu conquieſcere, Urbanas meas Quaestiones, seu variam potius morum historiam, Tuo Nomini, Majestatique offerre non dubitavi. Cum enim tantae sint tuae ingenii dotes, tanta bonarum studia literarum, ut, si in minori fortuna natus esses, magnus tamen esse debuisses, quo validiori se clypeo mea haec umquam tueri possent, quae nedum optimo Principe, sed summo etiam philosopho gaudent Patrono? Quid, quod nostra haec ipsa studia tuis, ortum atque incrementum omnino debent auspiciis? Te enim, nec ignoras duce atque auspice, subcisivi temporis aliquid a gravissimis curis ereptum, sum ausus in eas conferre vigilias, quibus a teneris me dedi totum unguiculis. Verum ut fruges non bonitate soli tantum, aut agricolae industria, sed benefico Solis etiam calore gignuntur, sic hominum ingenia non tam natura, ac labore, quam procerum solent benignitate virescere. Quare Tibi sane debebunt qui

hunc

Digitized by Google

hunc in librum inciderint, si ad primam paginam non lassi pervenient. Ad haec accedunt immortalia tua, ac pene divina erga me beneficia, qui in tam florenti Civitate ita me amplissimi magistratus ornandum honore duxiſti, ut primis me tantae tuae Provinciae subselliis praeesse volueris. Ob quae omnia debitas quidem ago gratias, agamque dum vivàm; nam relaturum (et si id hoc temporis audeam) tamen affirmare non potero, nisi forte ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoriam tenebo: ausus sum tamen hoc libello referre, non quod ita sim ratus; sed quia sic αχαριστίας crimen visus mihi sum quodammodo effugere. Non enim ita sum vecors, aut expers ingenii, qui consutum hoc levidense crasso filo munusculum Tuae putem aut dignitati, aut ingenio respondere. Quae autem ex nostris est, aut finitimis provinciis, quae tam coelo divisa gens, quo non dignitas, non laus Tua, nec obscuro, nec vario sermone,

Digitized by Google

sed et clariſsima, et una omnium voce pervaserit? ubi hae duae res, quibus maxime polles, optimarum artium scientia, et maximorum gloria facinorum, non ſummo nitore perfulgeant? Quarum altera sane Tibi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem; vivit enim, et vivet ad memoriam posteritatis sempiternam. Domita inter Panarium, Seniumque flumina, navalis cursus auctus, emulsae paludes, agri excitati, ac restituti, ea Tuae sunt immortalitatis monimenta, quae ita summis Te viris comparant, ut omnes quasi coelo delapsum arbitrentur. Quid autem de consilio, dicendi gravitate, prudentia, humanitate, justitia loquar? Profecto humanitas ea est, ita faciles aditus ad Te humiliorum hominum, ut Tu, qui summos dignitate viros excellis, sis facilitate par infimis; justitia vero tanta, quanta vix Saturno fuisse rege narratur. Verum epistolae finem imponam; non enim ignoro omnem Te non tantum

Digitized by Google

πολυλογίαν, sed etiam κολακείαν plane aversari; praesertim quia nostra laus, propter beneficiorum in me tuorum magnitudinem, fortasse officii majorem auctoritatem habere videbitur, quam sententiae. Igitur Te oro, atque obsecro, ut Urbanas nostras Quaestiones libenter accipias; sunt enim testes, et erunt, sempiternorum tuorum erga me meritorum. Quod si voti sim compos, quantum literis, quantum studiis consequi potero, id omne ad arbitrium tuum, qui haec semper amasti, conferam libentissime. Vale.

Bononiae Kal. Sextilibus MDCCLXXXII.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

Morum variam me, Lector, historiam pertractandam suscepisse forte miraberis; cum *neque occupata opera, neque impedito animo*, ut ait (1) Cicero, *res tanta suscipi possit, sed utrunque opus sit et cura vacare, et negotio:* verum admirationem multiplex, et jucunda voluptas tollet, quam, ut spero, ex introspecta veterum varietate, ac veritate morum accipies. Ego vero tantam inveni, ut subcisiva omnia, quae incurrunt, tempora numquam perire sim passus, sed in hisce merito ſtudiis impendenda sim arbitratus. Si fictas enim fabulas, e quibus utilitas nulla ducitur, cum voluptate perlegimus, quid de morum historia dicendum erit, quae, cum sit *testis temporum* (2), *nuncia veritatis*, *vitae magistra*, cumque ea velut aperiat, quae obscuritate occultantur, magnam habeat, necesse est, utilitatem cum voluptate conjunctam?

2. Haec porro morum varietas explicandorum in causa fuit, cur liber sit a me LIMON inscriptus: diversis nempe consitum velut flosculis viridarium, utinam et ordine, et nitore, sua sicut frequentia, et quantitate conspicuum. At inquiet quispiam: cur insolitum promis latine LIMON, et non potius Λειμὼν Graecum usurpas vocabulum? Equidem et ipse fateor, Graii dum suis ipsi titulos libris inscriberent, acceptiora haec vocabula Εγχειρίδιον, Πανδέκται, Λειμὼν, ut olim sibi (3) notavit Plinius. Verum Tullium Graiis anteponere mihi visum est universis: is enim librum composuit carminum variorum, cui LIMON titulus latine inscriptus; ejus autem rei non solum Anglum illum clarissimum, Tullianae vitae (4) scriptorem, habeo testem, verum etiam nitidius a Donato repeto testimo-

(1) M. Tull. Cicer. de legib. cap. 3. pag. 424. litt. C.
(2) Idem de Oratore c. 19. p. 202. lit. F.
(3) Plin in Praefat. ad hist. natur.
(4) Middleton vit. Cic. t. 1. p. 18. et 19.

monium, Tulliana haec a Limone in Terentii (1) vita ad rem depromente his adamussim verbis: *Cicero in LIMONE hactenus laudat.*

Tu quoque, qui solus lecto sermone Terenti
Concursum, expressumque latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Latino igitur volumini titulum inscribo latinum:

3. Enimvero non me tam terret inscriptio, quam ipsum morum historiae ingens opus, ubi nova multa, obscura vero occurrunt plurima, aut falso tradita, aut penitus ignorata: etiam non pauci coarguendi, qui aut non viderunt viam, qua iretur ad verum, aut vim timuerunt calcare: *Ingens* (2) *opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur*. Itaque tanta ingenii mei exiguitate, tantis temporis angustiis, dum plures lapsos ostendam, labar et ipse: utinam subleves potius, Lector, quam deprimas: tuam ego certe conabor, si non ingenio, nec viribus, saltem diligentia benignitatem promereri; quippe qui decennalibus pene vigiliis elicere curavi ingenuam e latebris veritatis imaginem, omnibus semper simulacris emendatiorem.

4. At poetarum quandoque carmina refero Lampsacena, quae tamen, nisi ad rem apprime facerent, non referrem. Rigidi quaeso hic ignoscant Catones: ego sane illis Catulli nostri non utar versibus (3).

. . . Castum decet esse pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est

verum Ausonii viri consularis ac Paulini episcopi amicitia clari auctoritate me tuebor, et carmine (4).

Salva mihi veterum maneat modo regula morum,
Laudet permissis sobria musa jocis

Quan-

(1) Donat. in Vita Terentii.
(2) Petron. in Satyr.
(3) Catull. 16. v. 5. et 6.
(4) Auson. epigr. 9. v. 3. et 4.

Quandoque de tricis etiam dissero atque quisquiliis; quandoque demum *ab* (1) *orchestra transilio quatuordecim, et in extrema plebe quaero quod diligam*: de barbis enim, de flagris, et fustibus, de nocturnis deambulonibus, de moechis usque dissero bustuariis: hic quoque, lector, ignoscas oro; si enim sedulo et ista pervolvas, suo nec usu, nec fructu carere dignosces.

5. Libro servantur sacra postremo: hic vero, dum de sanctissimis ago Religionis ritibus, ac vetustissimis Ecclesiae caeremoniis, trepidis profecto manibus omnia pertracto; quare, ut errore vacem, Romanae sedis, veri, rectique matris et magistrae judicio, uti me, ita mea haec libens universa subjicio: erro enim fortasse, dum errorem vitare cupio; mihique illa evenit sors, quae illi olim pocillatori, de quo Martialis ajebat (2) noster:

Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securae nimium, sollicitaeque manus.

Me quidem miserum, quod a Carolo Fridericio, D. N. PII SEXTI PONT. vere MAX. ab epistolis nunc secretioribus, omnium sane literarum viro, tam multa adeo millia sejungunt! ex cujus consuetudine ab ipsamet usque juventute Musas et studia nostra (si quid forte sunt) ortum habuisse duco, atque incrementum! ex cujus incredibili judicio, eruditione, doctrina, tantas hausi voluptates! ex cujus demum absentia verum nimis esse Plautinum (3) illud experior.

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quae in potestate habuimus, ea amisimus!

At quoniam id Superi intervortunt, te, lector optime, oro, atque obsecro, ut quae tunc tanti viri ope adjuta plausibus excepisses, tuae nunc benignitati, aut saltem miserationi commendata suscipias. Vale.

Prae-

(1) Petron. in Satyr.
(2) Martial. epigr. l. 14. ep. 3.
(3) Plaut. in Comoed.

PRaeclarissimi viri Philippi Trenta J.C. nobilis Asculani librum, cui titulus LIMON vidi adcurate, et vero etiam perlibenter. Me enim admodum delectaverunt solertissimi scriptoris ingenium, acre judicium, et perrara quaedam, uberrimaque eruditio Latini sermonis elegantiae conjuncta, quum is in explicandis veterum authorum obscuris difficillimisque quibusdam locis, nec non sacrorum nonnullorum rituum originibus investigandis plurima profert aut noviter abs se detecta, aut hucusque ab aliis prorsus inobservata. Caeterum ut munus mihi a Rm̃o P. Magistro S. P. A. demandatum impleam, id quoque testor me nihil in eo volumine deprehendisse, quod aut Catholicae Fidei sensibus adversetur, aut bonorum morum regulis repugnet; quapropter dignum quoque esse illud adfirmo, quod in publicam lucem quamprimum emittatur. Ex aedibus S. Callisti die XX. Augusti Anno MDCCLXXXII.

P. A. Galletti Episcopus Cyrenensis.

UT Rm̃i Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici mandatis obsequerer, legi, quam potui, accuratissime Opus inscriptum *Philippi Trenta J. C. Nobilis Asculani Limon, sive Urbanarum Quaestionum libri tres*, et ex ejus lectione non minus utilitatis, quam voluptatis cepi. In eo namque non modo nihil occurrit, quod ab Orthodoxae Religionis dogmatibus alienum esse, vel aliquam bonis moribus labem inferre posse videatur, sed etiam plerisque veterum Scriptorum obscurissimis locis plurimum lucis affertur, antiquissimarum consuetudinum, quarum nonnullae hac quoque aetate vigent, origo magna eruditionis copia aperitur, jactataque ab Haereticis in sacras Catholicae Ecclesiae ceremonias tela summa vi repelluntur. His accedit mira Clarissimi Auctoris in animi sui sensis enunciandis perspicuitas, et in scribendo elegantia. Quamobrem Opus ipsum dignissimum censeo, quod in publicam lucem edatur.

Datum Romae in Coenobio Sanctae Mariae super Minervam X. Kalendas Augusti Anno MDCCLXXXII.

Fr. Thomas Maria Soldatus Ordinis Praedicatorum Sac. Theologiae Magister, ejusdemque in Collegio Germanico-Hungarico Professor.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Revmo Patri Sac. Palat. Apoſtol. Magiſt.

F. Ant. Marcucci Episc. Montis-Alti Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Praed. S. P. A. Mag.

UR-

Digitized by Google

URBANARUM QUAESTIONUM

LIBER PRIMUS

DISSERTATIO I.

In A. Gellij cap. xv. lib. x.

In qua quaeritur quid sint propriè Caſtus multiplices Flamini Diali impoſiti.

COgitanti mihi, Praesul amplissime, optimique Collegae, quam sibi placeant, quam sibi belli, ac beatissimi esse videantur, qui veterum scripta doctorum, variorum notis illustrata pervolvunt; qui notas illas universas velut a fonte relatas Hammonis, aut coelo delapsas putant; qui volumina demum illa et purpura, et croco, et pictis exornant umbilicis, ea saepe occurrit opinio, qui inter haec unicè nutriantur, non magis sapere, quam qui rem agunt coquinariam, bene olere. Sicut enim isti, sint assiduè licet pipere, ac sesamo, et pavavere sparsi, odorem tamen exhalant gravem; ita sane illi, qui non patiuntur laborum gradus fieri, sed cruda haec studia propelluht, qui sapientiae praeceptis animos non componunt, ac severa

Digitized by Google

lectione non mitigant, qui denique inter commixtas variorum unice notas insudant, licet inter bonas, ut plurimum, res versentur, bonam tamen persaepè mentem non habent.

2. Testis hodie mihi sit Gellius noster, cujus locum quemdam in medium proferam, ut clarius pateat, immane quantum variorum notae a recto, et a vero aberraverint. Ita enim libro decimo capite quintodecimo loquitur (1) Gellius: *Ceremoniae Flamini Diali multae impositae; item CASTUS multiplices*. Verbum *castus* varie variorum notae aut legunt, aut corrigunt, aut interpretantur, aut melius forte dicam depravant. Lipsius quippè, cultioris licet notae vir, haec ait in suis (2) Electis: *legebam olim CASTUS: resipui, postquam inspexi libros priscos, qui habent CAUTUS: amplector propriae significationis vocem; et eo nomine accipio quidquid in sacris cavendum, et religionis gratia vitandum, aut omittendum sit*.

3. Samuel Pitiscus, non obscuri nominis scriptor, et cum eo plurimi neque *castus* neque *cautus* admittunt verbum, sed scribunt *cassus*: en ejus (3) verba: *casus Flaminis Dialis sunt regulae, juxta quas debet vivere; quasi CANONES: quo sensu Marcus Tullius Tironi* (4) *scripsit; sed heus tu, qui canon esse meorum scriptorum soles*.

4. Tandem optimus omnium Gronovius, aliique restituunt *castus*; verum *castus* hos dialis multiplices pro diversis Flaminis ritibus interpretantur (5).

5. Eruditorum sanè hominum alii pedibus in unam, in alteram alii ivere sententiam: ego in alia omnia; quippe qui audax fortasse nimium, nimiaeque novitatis amator, neminem huc usque rem acu tetigisse putaverim; ut proinde pateat, quantum *variorum* auctoritati sit tribuendum. Ego enim sic statuo, sic existimo, *castum* quidem legi debère; sed *castum*, non ritus (quos idem esse, ac ceremonias, de quibus jam locutus fuerat Gellius, intelligit quisque; non enim ille dixisset *multae ceremoniae, item castus multiplices*, si unum, idemque castus, ac ceremoniae sonarent) *castum*, inquam, non *ritus* esse, verum nihil aliud in Gellio sibi velle, quam *jejunium*.

6. Et re quidem vera praesto erit nobis peritissimus ethnicarum ceremoniarum scriptor Arnobius, qui in sua adversus gentes disputatione, de sacris agens Magnae Matris, haec habet *quid temperatis ab alimonio panis, cui rei nomen dedistis CASTUS: nonne illius tem-*

(1) Noct. Attic l. 10. c. 15.
(2) Just. Lips. Elector. l. 1. c. 21. p. 593.
(3) Samuel Pitiscus in lexico antiquitatum Romanarum verbo „ Casus.
(4) M. Tull. Cicero epist. fam. lib. 16. epist. 17.
(5) Gronovius et alii in notis variorum ad Aulii Gelli cap. 15. lib. 10.

temporis imitatio est, quo se numen Cereris fruge, violentia moeroris, abstinuit (1). Quibus verbis nescio, an, ad jejunii speciem significandam, clariora inveniantur.

7. Enim vero Tertullianus in eo, quod de jejunio scripsit, volumine, rem fortasse nitidius indigitat, meamque sententiam optime comprobat inquiens (2): *Sed bene, quod in nostras xerophagias blasphemias ingerens CASTO Isidis, ac Cybeles, eas adaequas.*

8. Sanctus etiam Hieronymus, nemini aut literis, aut moribus certe secundus, Castus hos nedum ingenue jejunia appellavit, sed ut Christianos ad jejunia alliceret, non a recto alienum putavit, ut, sicuti verae virginitati virginum Christianarum non oberat imitatio virginitatis vestalium antistitum, ita nec jejuniis Christicolarum vera obesset imitari Ethnicorum jejunia sacerdotum. En ejus (3) verba: *sicut autem virginitati verae non præjudicat imitatio virginum Diaboli, ita NEC VERIS JEJUNIIS CASTORUM Isidis, et Cybeles, et quorumdam ciborum in aeternum abstinentia*, et alio loco Joviniani nomine (4): *de ciborum sibi placent abstinentia; quasi non et superstitio Gentilium CASTUM Matris Deum observet, et Isidis.*

9. Quanta vero hujus jejunii vetustas sit, ne quis putet me a sequioris aevi scriptoribus exempla mutuari, vel ex Livio datur intelligi, qui stante republica, celebre hoc ait jejunium institutum, cum varia Quiritium animos ostenta sollicitarent (5). *Eorum prodigiorum causa* (ait Livius) *libros Sibillinos cum ex Senatus Consulto decemviri adiissent, renunciarunt JEJUNIUM instituendum Cereri esse, et id quinto quoque anno servandum*: quod sane jejunium usque ad senescentis imperii Romani tempora perdurasse ex Simmaco accipimus, qui pontifex Flaviano scribens pontifici de *casto*, seu jejunio Cereris agens, haec ait: *notae nobis sunt ceremoniae, deorum, et festa divinitatis imperata: sed memento, exactis feriis, participes facere luxuriae tuae, quos tantopere laborasti consortes habere JEJUNII* (6).

10. At dicet fortasse quispiam: quid Flamini Diali cum jejunio, aut *Casto* Isidis, ac Cybeles? Paucis reponam; paucis immo reposuit Simmacus, qui flamen Flamini scribens, de jejunio sacerdoti a sacerdote tantopere inculcato, tamquam de re, quae sacerdotes maxime deceret, verba facit. Hoc nomen *Castus* in sacris pro jejunio usurpabant: celebrior autem Isidis Castus, ac Cereris, sive

(1) Arnobius contra Nationes lib. 5.
(2) Tertullian. de Jejun.
(3) Sanctus Hieronymus adversus Jovinianum lib. 2.
(4) Ibid.
(5) Titus Livius lib. 36. c. 37.
(6) Simmachi epist. 53. lib. 2.

Cybeles, quia in hoc a pane usque abstinebant; licet elapsis feriis jejunio addictis, electissimis cibis fastidientia membra reficerent. Caeterum *Castus* in sacris a *careo* ducit ortum (1) *castique* ac puri dicebantur Flamines, qui certis rebus *carerent*, ut ait Festus. Certis igitur quibusdam escis sacra adituris, et confecturis erat carendum, atque id quandoque diebus decem, quandoque triginta: ita enim idem ait Festus: *denariae, et tricenariae ceremoniae dicebantur, quibus sacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat*, et paulo post de Casto et ipſe mentionem habens haec ait: *cum in CASTO est, communique gratulatione* (2).

11. Quam vero jejunia Flamine digna forent, quam pontificem decerent, vel ex eo quiſque percipit, quod ab iis pontificia jura exigebant, cum, sacris initiati, in deorum ministerium cooptarentur. Cum enim in acceptionibus rogarentur, statim respondebant: *jejunavi*, quod ex Arnobii verbis aperte colligitur (3) ita se habentibus: *rogati sacrorum in acceptionibus respondetis: JEJUNAVI.*

12. Quin immo, si Clementi fidem praebeamus Alexandrino, in Eleusiniorum initiationibus, quae sacrorum sane omnium apud Ethnicos caput erant, hæc (4) porrò dabatur misteriorum tessera ſacerdotibus, qui in illud collegium cooptarentur: *jejunavi: bibi Cyceonem: accepi e cista.*

13. Igitur caput omnium, quae sacerdotibus numinum gratiam conciliare exiſtimabantur, erat sane jejunium. Hinc Flamini sacra confecturo *Castus* multiplices (5), multae ceremoniae imponebantur, ut ait optime Gellius: hinc verba illa in jure pontificio satis nota: *ad deos adeunto caste*: hinc denariae, ac tricenariae illae ceremoniae, in quibus Flamini carnibus, certisque aliis carendum erat eduliis; de quibus perbelle Livius his verbis: *decem dierum CASTIMONIA opus esse, decimo die coenatum; dein pure lautam in sacrarium deducturam* (6): inde *Castus*, ut vidimus, a *carendo*; et *ceremoniae*, quasi *caremoniae* ut Stuchio placet (7): inde demum vetustissimus omnium Numa Pompilius, recentissimus omnium Flavius Julianus, si Procopium, aut Ammianum audiamus (8), sacra adituri carnibus abstinebant.

14. Neque Castus isti multiplices, quos ait Gellius Flamini impositos, sive ista jejunia, carnium, seu certarum escarum unam prae-

---

(1) Fest. Pomp.
(2) Id. Fest. Pomp. in verbo ,, Minuitur.
(3) Arnob. advers. Nationes lib. 5.
(4) Clem. Alexand. in Protreptic. p. 13.
(5) Gellius l. 10. c. 15.
(6) Tit. Liv. lib. 39. cap. 9.
(7) Stuch. de Sacrific. p. 80.
(8) Procop. in hist. Ammian. Marcell. in hist. Julian.

praeseferebant carentiam. Siquidem in Casto, sive jejunio, nedum carnibus, verum et Venere carendum erat: quam ob rem pontifex veniam petebat, quoties, ut ait (1) Juvenalis, rem divinam facturus concubitu, licet propria cum uxore, non abstinuisset:

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris, observandisque diebus.

Ideoque Flamines suos poeta monebat vetus his versibus:

Vos quoque abesse procul jubeo: discedite ab aris,
Queis tulit externa gaudia nocte Venus.

15. Ex dictis, ni fallor, satis liquere jam puto nil aliud sibi velle *Castus multiplices*, de quibus loquitur Gellius, quam diversa illa jejunia, quibus nil in Flamine decentius, nil laudabilius. Verum si cuiquam adhuc haeret aqua, aliud ego in medium proferam argumentum, quo res planior evadat. Quem igitur ex Romanis alii dixere *Castum*, *castimonias* alii, et *castimonia* dixere: et tamen iisdem hoc eodem verbo nil aliud, quam abstinentiam, jejuniumque indicare mens fuit. Tertullianus quippe in libro de jejunio (2) aperte fatetur *quasdam Gentiles habuisse CASTIMONIAS, quibus Apim, Isidem et Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione venerarentur*, de quibus Lucius etiam Apulejus haec (3) habet: *DIFFICILE religionis obsequium, et CASTIMONIORUM abstinentiam satis arduam, idque plane cunctis arbitris praecipit CONTINUIS illis decem diebus cibariam voluptatem coercerem, neque ULLUM ANIMAL ESSEM, et INVINIUS essem.*

16. Non igitur carnem, non ullum animal manducare, existente religione, licebat; sed oleribus Ethnici, leguminibusque contenti, sine carne coenabant: quod luculentissime in vita Didii Juliani Augusti testatur Spartianus his (4) verbis: *saepe autem, NULLA EXISTENTE RELIGIONE, oleribus, leguminibusque contentus*; ex quo satis liquet, quid, *EXISTENTE RELIGIONE*, fas esset.

17. *Castus* igitur, *castimoniae*, et *castimonia*, nil aliud plane, Collegae optimi, ni fallor, significant, quam ciborum carentiam, quam jejunia, quam certorum eduliorum sacris indictam legibus abstinentiam.

18. Neque vero, Collegae optimi, Romanorum dumtaxat sacerdotum jejunia haec, Castus ipsos proprios fuisse existimetis: nulla enim fere gens extitit, cujus Flaminibus certis quibusdam cibis carendum non esset. Cretenses quippe Jovis Flamines neque carnibus usos,

(1) Juvenal. Sat. 6.
(2) Tertull. de jejunio.
(3) L. Apulejus Milesior. lib. 11.
(4) Spart. in Vita Didii Juliani p. 75.

Digitized by Google

usos, neque piscibus refert (1) Euripides. Item Aegyptii sacerdotes carnibus, ac vino, perpetuo abstinebant, si Hieronymo fidem habeamus (2). Athenienses quoque, eodem teste, (3) haec in Eleusinis praecepta dabant *honorandos parentes*; *venerandos divos*; *carnibus non vescendum*. Maximus autem Ethnicorum philosophorum Plato (4) ait *vesci carnibus, et sanguine deorum aras polluere, iniquum videri*. Tandem Christianis sacerdotibus, tam clericis, quam monachis, jejunia quantum fuerint accepta, ne noctuas videar Athenas mittere, libens praetereo.

19. Hoc unum dicam, Benedictum monasticae disciplinae in occidente restauratorem non eo indulgentiorem in monachos suos fuisse reputandum, quia in indictis a se castimoniis vescendas illis avium carnes concesserit. Deceptos enim puto, qui hanc illi ea ratione indulgentiam adscribunt, qua monachis, assiduo addictis pervigilio, avium carnes forent, eorumque stomachis aptiores. Ita enim sentio: Benedictum ideo aves monachis indulsisse, quia eamdem omnino esse piscium, aviumque naturam putavit. In hanc opinionem hoc argumento adducor. Veteres profecto Ecclesiae Patres pisces, volucresque, ab uno eodemque autumabant processisse principio, prout ex hymno colligitur luculenter, quem adhuc Catholica canit Ecclesia, cujus haec aptissima sane sunt verba:

Magnae Deus potentiae,
Qui fertili natos aqua
Partim demittis gurgiti,
Partim levas in aera.
Demersa limphis imprimens,
Subvecta coelis erigens,
Vt STIRPE ab VNA prodita
Diversa repleant loca (5).

20. Antiquam vero hanc Patrum sententiam vel ex eo Genesis loco ortam esse non dubito, quo pisces, volucresque, uno eodemque tradit Moyses fluxisse principio. Quid enim his verbis clarius? *Dixit etiam Deus: producant AQVAE reptile* (6) *animae viventis, et volatile super terram*. Cum igitur piscibus, avibusque, idem principium, ac fons; cum utrosque aquae produxerint, utique vescendas volucres, una cum pifcibus, cucullatis suis fuisse a Benedicto concessas existimo, quibus et stomaco, et castimoniis asservandis foret una consultum.

21. Per-

(1) Stuch. de Sacrific. p. 80.
(2) S. Hieron. in Jovinian.
(3) Idem ib.
(4) Plato de legib. lib. 6.
(5) Inter hymn. ecclesiastic.
(6) Genes. c. I.

21. Perspecta nunc apud omnes ferme gentes Flaminum, ac sacerdotum pene omnium cum jejunio, cum Casto, cum castimoniis, summa, laudabilique societate (licet vos in meam jam sententiam adductos existimem) aliqua tamen addam, quibus *Flaminis Castus multiplices*, de quibus noster loquitur Gellius, nil aliud significare, quam abstinentiam, manu quodammodo contrectetis. Sicuti ergo sacrificiorum dies festos abstinentia, jejunia, Castus praecedebant, ita laxa inedia membra coenis illis reficiebant pontificalibus, in quibus non deerat sane luxuria. Coenae ergo pontificales, de quibus in proximo conventu disseram, eo lautiores, quo acerbiores praecesserant inedia dies: nil aptius igitur, quam sequentes lauticiae, anteactam indicant abstinentiam. Et re quidem vera magnus ille Hieronymus adversus Jovinianum acerrime jejunia illa damnat, et coenas; Flamines enim illos per dies, ait, quosdam inediam sustinuisse, ut Phasianis avibus, aliisque electissimis ferculis majori postea cum voluptate possent impleri (1). Non audeo sane Hieronymum arguere: quin immo laudibus in coelum eveho, maxime cum alio loco (2) sacerdotes Isidis, Cybelesque, merito rideat, qui, jejunio sane ridendo, ne Cereris dona contaminarent Phasides aves ac turtures devorabant: hoc tamen ajo: humanum fuisse ut pontifices, flaminesque, jamdiu inedia laborantes, largioribus cibis festos dies celebrarent. Simmaco ergo fortasse ignoscendum, si, post jejunium sibi a Flaviano imperatum, ab ipsomet Flaviano hoc poposcerit: *Memento, exactis feriis, participes facere luxuriae tuae, quos tantopere laborasti consortes habere jejunii* (3).

22. Causa esset omnino perorata, nisi cujusdam ritus, qui Castum, et jejunia ethnicorum quandoque sacerdotum consequebantur, mentionem habendam esse exestimarem. Nudipedalia haec erant, rogationibus, supplicationibus juncta: ceremoniae nimirum, ob quas deorum statuas nudis pedibus comitabantur, ut demissum, passumque animum demonstrarent, quo majorem a superis inirent gratiam. In *Casto* igitur Cereris nudipedia praecipue indicebantur, de quibus haec Prudentius:

Nudare plantas ante carpentum scito (4)
Proceres togatos Matris Ideae sacris

23. Idem erga Vestam factum testatur Florus de bello Gallico per haec verba (5): *Virgines ex sacerdotio Vestae NUDO PEDE fugientia sacra comitabantur*, et Ovidius in Fastis *Huc*

(1) S. Hieron. advers. Jovinian. l. 2.
(2) Epist 107. t. 1. col. 681. edit. Veron.
(3) Simmach. epist. 53. l. 2.
(4) Prudent. Peristeph. l. 10. v. 156.
(5) L. Flor. l. 1. c. 13.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

24. Tandem stupente anno, arente coelo, aut publicis ingruentibus calamitatibus, rogationes, supplicationes, nudipedalia indicebantur, de quibus adest egregius Tertulliani locus: *cum stupet coelum, et aret annus, nudipedalia denunciantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, preces indigitant, hostiam instaurant* (1), de quibus etiam Livius passim inter antiquos (2), inter sequioris aevi scriptores Simmacus (3).

25. Qui hujus intimam ceremoniae quaerere studuit originem, a solemnibus Judaeorum jejuniis eam repetere non dubitavit, ut Dempstero (4) visum est. Id sane non improbo: verum ingenitus quidam apud homines erga superos sensus viget, ad quem universi non instructi, sed nati esse videamur; nempe ut externis animum indiciis ostendamus abjectum, quo superum nobis indulgentiam, aut favorem conciliemus. *Castus* itaque illi *multiplices*, de quibus loquitur Gellius, jejunia omnia, castimoniae, nudipedalia, atque his similia ab instinctu potius humani ingenii, ad haec suapte natura proclivis, ortum habuisse dicenda sunt.

26. Quae cum ita sint, nobis indulgeat Lipsius, parcat Pitiscus, dent veniam Gronovius, coeterique Gellii nostri adnotatores, quorum alii Gellianos *Castus multiplices* aut in *casus*, aut in *cautus* convertunt, aut si *castus* retinent, pro simplici *ritu*, non pro *jejunio*, accipiunt. *Castus multiplices* qui vere sint, ni in philantiae vitium inciderim, me demonstrasse jam puto: interea si quid omisi, ignosce Praesul amplissime, Sodales ignoscite; non enim vestrum huic labori favorem adprecor, unam tantum deprecor iram.

Bononiae prid. Kal. Februarias MDCCLXXV. Ignatio Boncompagnio Ludovisio optimo principe his favente scribebat

Philippus Trenta pro S. R. Eccleſia Bononiae praetor.

DIS-

(1) Tertull. in libro de jejunio.

(2) Livius l. 10. c. 23. l. 32. c. 44. l. 39. c. 36. l. 45. c. 45.

(3) Simmacus l. 4. epist. 4.

(4) Dempster. ad Rosin. antiquit. Roman. c. 36. in Paralipom.

DISSERTATIO II.

In A. Gellij cap. XXIV. lib. II.

In qua de Coenis quaeritur, ac Legibus sumptuariis.

NON eram nescius, Praesul amplissime, optimique Collegae, de lauticiis, ac epulis sermonem habere post epulas, ac lauticias, idem omnino esse, ac saturis crambem repetere jamdiu fastiditam; non enim aliis, quam ganeonibus, ac lurconibus fas est hoc temporis comissari. Atqui parendum est Gellio, qui hanc mihi sortem attribuit, ut iterum sternatur triclinium, atque instauretur. Libeat igitur vobis, ut nova haec fercula aggrediamini, Emeticon agere; ita quippe nauseam vitabitis, meque comiter, ac jucunde excipietis. Coenam, quam, post jejunia, castusque multiplices, Gellius nunciat, Romanam paro; primo tenuem, ac fere terrestrem, inde lautam, atque sumptuariis Legibus castigatam, demum oblitam juris humani, et omni lege solutam.

2. Primam quaeso, ne aspernamini: non enim plurima veste stragula parietes, non serico, aut oloserico accumbentium vestes, non conchyliatis triclinia nitent peristromatis, non dapibus denique mensa est onerata superbis. Prisco haec Romanorum aevo exotica omnino, ac peregrina (1); tanta quippe vigebat parsimonia, ut ajente Tullio, *illis optimis temporibus hominem invenire nequam neminem posses* (2). Curiorum igitur, ac Fabriciorum mensa, triumphali quidem aratore discumbente gaudebat; verum non nisi pulte, ac farre, aliisque plerumque terra natis instruebatur. Quod si vero delicias agere vellent convivales, porcinam apponere satis erat. Dum ergo vetus Plauti nostri parasitus electissima sibi studet comparare, in has festivas erumpit voces:

Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas (3)!
Abdomen, sumen suis, glandium (4).
Pernam, callum, glandium, sumen (5).

3. Solemnioribus itaque diebus suino isto, ab subagresti epulo Quirites convivabantur: reliqua anni tempestate coenam agebant

B pe-

(1) Valer. Max. l. 2. c. 5. & l. 3. c. 3. & 4.
(2) M. Tull. Cic. pro Fontejo cap. 13.
(3) Plaut. Captiv. act. 4. scen. 3. v. 4.
(4) Plaut. Curcul. act. 2. scen. 3. v. 44.
(5) Plaut. Pseudol act. 1. scen. 2. v. 33.

pene terrestrem, ut ex Plautino illo moris antiqui Sene colligimus:

Terrestris Coena est ..... multis oleribus (1).

4. Enim vero felicitate, ac potentia populi Romani quotidie, ac virtute gliſcentibus: *auctu Imperii*, ut ait (2) Tacitus, *adolevisse constat privatas opes, aliamque inde apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam*. Romanorum igitur auctae sunt epulae, splendidiora enituere triclinia, certisque sub Legibus, non sane sumptuariis, sed omnino coenaticis mensa succrevit. Hora ergo coenae praefixa, ferculorum portiones decretae, sportulae assignatae, sive munuscula distributa convivis. Singula persequamur.

5. Hora coenae hiberno tempore decima; nona quippe hieme lavabant: *ubi hora balnei nunciata est*: (ait Plinius) *est autem hieme nona, lotus accubat, et paulisper cibum differt: apponitur coena non minus nitida, quam frugi* (3): et bene Cicero: *viso triclinio strato vos huc decima venitote* (4). Verum aestate octava balneo, nona erat coenae hora adsignata, ut Martialis insinuat (5).

Octavam poteris ſervare: lavabimur una.
Imperat extructos frangere nona Thoros.

6. Strato itaque triclinio, ferculiſque appoſitis, convivii Rex ſuam cuique portionem adſignabat; quam ſanè dividundi obsonij consuetudinem a vetustissimis uſque satis eſt notum fluxisse temporibus. Mirabantur quippe filii Jacob majorem partem ad fratrem venisse Beniamin in convivio, ut quinque partibus fratrum ceteras superaret (6). Partes quoque a Romanis hae vocabantur: *Qua* (7) *epulatione* (sic ait de Cajo Svetonius) *equiti Romano hilarius, avidiusque vescenti PARTES suas misit*: et de Domitiano loquens haec (8) habet: PARTIBUS *etiam de coena dignatus est*: de Caracalla vero Spartianus haec (9) scripsit: *Cui pridie PARTES suas de coena miserat, jussit occidi*.

7. Si quis vero curiosius quaeritet, quam praecise obsoniorum quantitatem convivis quibusque convivii Rex assignaret, dicam quae hucusque repperi ex rei Romanae scriptoribus, quaeque nemo fortasse ex nostris cultioris notae viris huc usque observavit. Aequo primum jure cuique, domum etiam, si liberet, ferenda pars adsignabatur: *Equum Mars amat* (Trimalchio (10) inquit) *itaque jussit*

(1) Plaut. Captiv. act. 1. sc. 2.
(2) Annalium lib. 2. pag. 23.
(3) Plin. epistolar. l. 3. epistol. 1.
(4) M. Tul. Cic. ad Herennium 4. 51.
(5) Martial. lib. 4. Epigr. 8. v. 6. Idem lib. 11. Ep. 53.
(6) Genes. c. 43. v. 33.
(7) Sveton. in Calig. cap. 78.
(8) Idem in Domitian. cap. II.
(9) Spartian. in Caracall.
(10) Petron. Arbit. in Coena Trimalch.

sit Senex suam cuique mensam adsignari: obsonia vero ita partiri jus erat: cuique ex convivis offulas binas, ac lumbum gallinaceum dabant (1) ut Capitolinus insinuat: cuique turdus integer, leporis autem femur, placentae quadra distribuebatur, si Martiali fides sit (2): Attagena duobus erat communis; mullus unicuique dimidius, at lupus dabatur (3) totus. Lactucae singulae, cocleae ternae, ova bina, ut tradit Plinius (4). Murenae quidem latus, pulli femur, palumbus adsignabatur solidus, atque alica plerumque conditus, ut his festivissimus ait versibus Martialis (5):

Quicquid ponitur hinc, et inde verris:
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Murenaeque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica sua palumbum:
Haec cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.

8. A partibus ferculorum ad partes ipsas libeat coenae descendere. Coenae partes tres: *Antecoenium, caput coenae, bellaria*. Antecoenium, quod et antecoenea dicebatur, prima coenae pars erat in qua, ut ait (6) Plinius, paratae erant lactucae singulae, cocleae ternae, ova bina, alica, cum mulso, ac nive: atque alia olerum genera, ultra lactucas, ventrem moventia, in antecoenio apponebantur, ut ad rem tradit Martialis (7) et (8).

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis et porris fila resecta suis;

et alio loco

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, et varias, quas tulit hortus, opes,
In quibus est lactuca recens, et sectile porrum;
Nec deest ructatrix menta, nec erba salax.

Item apponebant in antecoenio, Macrobio (9) ajente, echinos, et ostreas crudas, quantum vellent; ac monente Tullio (10) oleas quoque, ac lucanicas; verum olearum id erat praecipuum ut coenae forent principium, et finis (11)

Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

B 2 9. Gu-

(1) Jul. Capitolin. in Pertinac. cap. 12.
(2) Martial. lib. 6. Epigr. 75.
(3) Idem l. 2. epig. 37.
(4) Plin. Junior in epist. 37. l. 2.
(5) Martial. epigr. 37. l. 2.
(6) Plin. Junior l. 1. epist. 1.
(7) Martial. lib. 11. epigr. 53. et lib. 10. epigr. 48.
(8) Ibid.
(9) Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 12.
(10) M. Tul. Cic. ep. Fam. l. 9. epist. 16.
(11) Martial. in Xenys.

9. Gustus etiam apud veteres, atque gustatio, prima haec coenae pars dicebatur:

Gustu protinus has edes in ipso

ait Martialis (1); et Petronius: *Gustatione mirifica initiati* (2); *Allata est tum gustatio valde laudata*: Tandem et *Promulsis* appellabatur, quia in hac prima coenae parte Mulsum anteponebant, unoque mulso primam Romani sedabant sitim, hac Horatiana quidem ducti ratione (3):

Quoniam vacuis committere venis
Nil, nisi lene, decet; leni praecordia mulso
Prolueris melius.

Pueri ergo semel ab summo ad imum triclinii locum mulsi pocula porrigebant: At in largioribus Coenis hac formula Rex utebatur erga convivas: *Si quis iterum vellet, mulsum sumeret* (4): mulsum vero quidam confectum, infectum alii exhibebant; hi nempe mel, ac vinum, separatim dabant, ut convivae pro lubitu, sive lenius, sive fortius, mulsum, acidiusque conficerent, mero mella miscentes; quem eo innuit versu morem Horatius (5)

Aufidius forti miscebat mella Falerno.

10. Promulsidem, sive Antecoenium, *caput coenae* insequebatur, missus nempe coenae praecipuus: lautius igitur ferculum caput coenae appellabant, ut bene Martialis (6):

Mullus tibi, quatuor emptus
Librarum, coenae pompa, caputque fuit.

In paupere quidem convivio, si post promulsidem gallina, pulli, rapula, capparis, pisciculi apponerentur, coena posita esse dicebatur, gallina vero, ut praecipua, coenae caput (7). Verum plerumque lepus, aper, rhombus, mullus, ostreae, et abilia, et sumina caput coenae efformabant; ut proinde lautissimus ille Petronii Senex Trimalchio coenae caput fecerit (8): *altilia et sumina, leporemque pinnis subornatum, ut Pegasus videretur*, nec injuria fuerit a Juvenale dictum coenae caput (9)

. . . . *Lepus, et pygargus,*
Et Scithicae volucres, et phenicopterus ingens,
Et Getulus orix.

11. Quae igitur magno erant in praecio caput coenae appella-

(1) Martial. lib. 11. epigr. 32.
(2) Petronio in suo Satiric.
(3) Horat. in Satir. 4. v. 22. l. 11.
(4) Petron. in Coena Trimalchionis.
(5) Horat. Sat. 4. lib. 11.
(6) Martial. l. 10. epigr. 31.
(7) Stuch. Antiq. Convival. l. 3. c. 1.
(8) Petron. in Coena Trimalchionis.
(9) Juvenal. In Satir.

....., ut proinde festivissimus ille poeta (1) noster, ne a suae paucitate coenae sodalis deterreatur, praetiosius coenae caput effingit his versibus:

Mentiar, ut venias, pisces, conchilia samen,
Et cortis saturas, atque paludis aves.

et alio loco (2)

Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem,
Nec volo boletos; ostrea nolo: tace.

12. A coenae capite ad bellaria tandem, et mala veniamus, quae mensis inferri dicebantur secundis, atque ad finem vergentibus. Bellaria itaque, ac mala coenam claudebant (3); ut quoties rei cujusque initium, ac finem vellent veteres indicare, *ab ovo dicerent usque ad mala* (4). Malis accedebant olivae, cicer, lupini, ut his ait versibus Martialis (5).

Succurrent tibi nobiles olivae,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, et tepens lupinus.

Male autem omne mensae secundae genus bellaria Gellius appellat noster: mala quippe, olea, cicer, lupinus secundae mensae erant propria, nec tamen bellaria quis dixerit fuisse appellata. Bellaria igitur proprie accipio pro omnibus delicatis crustulis, scriblitis, placentis, libis, laganis, pastillis, sive ut ait (6) Arnobius, frustillis parvulis, ac suavibus mateolis melle conditis (nam saccarum, quod ex India ferebatur, ad medicinae tantum usum Pliniano usque tempore inserviebat). Haec sane claudebant coenam, quam honestioris notae homines non ultra solis occasum producebant (7).

13. Atqui non sine aliquo largiendo convivis munusculo coenam claudere mos patiebatur

Centum miselli jam valete quadrantes (8).
Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum (9).
Invitas centum quadrantibus (10).
Et tua tricenos largitur sportula nummos (11).

ait ad rem Martialis. Quandoque non nummos largiebantur, sed vestes, easque sane non rutilas, sed plerumque tritas (cembibones quippe, ac parasitos, quos Italica voce *galloppini* dicimus, etiam

(1) Martial l. 11. Epigram. 53.
(2) Ibid. l. 3. apigr. 48.
(3) Servius in lib. 11. Aaneid. vers. 120. Stuch. Antiquit. Convival. l. 3. c. 2.
(4) Porph. ad l. 2. Horat. Sat. 11.
(5) Martial. l. 6. epigr. 79.
(6) Arnob. contra Nation. l. 7. p. 231.
(7) Svaton. in Domitian. c. 21.
(8) Mart. l. 3. epigr. 7.
(9) Idam l. 1. epigr. 60.
(10) Idam l. 4. apigr. 60.
(11) Idem l. 10. apigr. 27.

etiam tunc temporis minimi faciebant) quae munuscula Horatius appellat:

. . . . *Tritae munera vestis* (1):

ut proinde Persius poeta, ideoque poetarum more pauper, atque famelicus, avarum illum invitatorem merito his versibus insequatur (2).

. . . . *Calidum scis ponere sumen*:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

14. Verum licet ad summam haec non irent luxuriam, adhuc viris illis placuit Romanae parcimoniae amatoribus conviviorum lauticias certis legibus coercere, quas dixere sumptuarias, quasque noster erudite memorat Gellius. Harum celebris Fannia lex fuit anno ab urbe condita DLXXXXII. Fannio, et Messala Coss. lata. Insecutae sunt Aemilia, quam M. Aemilius Lepidus cum Q. Lutatio Catulo tulit anno V. C. DCXV. atque Licinia P. Licinio Crasso et Gn. Cornelio Lentulo rogata anno VC. DCLXVI. deinde Antia Restionis, Sullana Sullae, iterum Aemilia Lepidi, Julia Caesaris, et Augusti, editae sunt (3), quibus certus gulae modus impositus, nec tamen semper: Nuptiis namque, festisque diebus largiora humilioris etiam notae hominibus concessa convivia, neque id raro incidebat: aderant quippe pridie nonas Aprilis in honorem Matris Deum ad quintum idus producti ludi Megalenses, quibus, cum Berecintia sedem commutaverit, factis vicibus, ajente (4) Ovidio, Romani convivia commutabant.

Cur vicibus factis ineant convivia quaero
Tam magis indictas concelebrentque dapes?
Quod bene mutarit sedem Berecintia dixit.

Aderant et ludi Romani, Circenses nempe, a Tarquinio in Jovis honorem, Junonis, ac Minervae instituti; itemque plebeii ob reconciliatam cum patribus plebem post habitam in Aventino secessionem: Saturnales quoque mense Decembri ubi risus, jocus, et crebra convivia. Demum calendae singulae, idus, ac nonae festus erant dies: calendae quippe Junoni sacrae, Nasone haec dicente:

Vindicat Ausonias Junonis cura Calendas (5):

Idibus Idulia Jovi caedebantur; Idulis enim agna dicitur; quae idibus quibusque Jovi a Flamine immolabatur (6). Licet autem careat (7) *No-*

(1) Horat. in epist.
(2) Persius in Sat.
(3) Macrob. Saturnal. l. II. c. 13.
(4) Ovid. Fastor. 4.
(5) Fastor. l. 1.
(6) Macrob. Satorn. l. 1.
(7) Ovid. Fastor. l. 57.

Nonarum tutela Deo

Romani tamen omnes nonas celebrabant ob Servii Tullii natalem, de quo incertum, quo mense, nonis tamen eſſe constabat; ideoque nonis putat Varro (1) mercatus sacrorumque causa, populum in urbem confluisse. Aderant tandem feriae, sive statae, sive conceptivae, sive imperativae: primae, quae stato incidebant tempore, ut Saturnalia, Cerealia, Liberalia, Lupercalia, Agonalia, Carmentalia: secundae, quae ob certas hominum necessitates indicebantur; ut latinae, sementivae, paganalia, compitalia: tertiae, quas consul imperabat, indicto justitio, in Caesarum morte, quo (2)

Jura silent, mutaeque tacent sine vindice leges;
Adspicitur toto purpura nulla foro.

Item et feriae aderant imperativae in epulo publico, ovatione, triumpho, ac similibus: quibus sane diebus largioribus ferculis per sumptuarias leges, ut vel ex Gellio nostro vidimus (3), convivari fas erat.

15. Enim vero non levis inde oritur quaestio, a nemine, quem viderim, excitata: utrum nempe a sumptuariis hisce legibus irent immunes coenae illae capitolinae, pontificales, saliares, augurales sive editiales, triumphales, ac similes, an potius in eum venirent ordinem, quo coenae festis diebus largiori impensa per sumptuarias leges parandae permittebantur. Ego sane in eam abeo sententiam, ut nullis coenas hasce legibus credam adstrictas. Quid enim turpius legique invisius, quam Capitolino Jovis epulo, quo Juppiter (4) in lectum, Juno ac Minerva in sellas invitabantur ad coenam, coelum, divosque sumptuariis legibus alligari? Lectisternia quippe ut ait (5) Livius tribus diis Jovi, Junoni, Minervae hoc modo fiebant in Capitolio: Jovis simulacrum in lecto recubans statuebatur, Junonis, et Minervae statuae in sellis considebant; deinde multa nocte, appositis epulis, septem aderant epulones, qui sacratos cibos comederent. Jam vero, si nil forte suspicamur indignius, quam Jovem, ejusque sororem, ac filiam, sumptuaria lege costringi, ita nec epulas Marti, vel Cereri, vel diis caeteris, per salios, cereales, aliosque flamines celebratas, fas fuisse autumo, quae sumptuariis legibus necterentur.

16. Nil ergo mirum, si Plautus ille noster, cum absolutissi-

(1) De lingua Lat. l. 5. c. 4.
(2) Auctor Consol. ad Liviam de Morte Drusi v. 183.
(3) Gell. l. 2. noct. attic. c. 24.
(4) Valer. Max. l. 11. c. 2.
(5) Liv. l. 24.

simam velit coenam dicere Cerealem appellet (1)

Cereales coenas dat; ita mensas extruit,
Tantas struices concinnat patinarias,
Standum est in lecto, si quid de summo petas.

Si Horatius his extollat verbis, inquiens (2):

Pontificum potiore coenis

Si noster ille Martialis sumptuosissimas dictitet (3)

Et Capitolinas, pontificumque dapes.

Si Varrone tradente, collegiorum coenae macelli annonam (4) excandefacerent; si denique Marcus Cicero, cum lautissima se testari vellet coena exceptum, dixerit: *epulatum esse saliarem in modum* (5).

17. Quod de sacerdotum, idem de triumphatorum coenis fuisse quis dubitet? Quomodo enim sumptuariis poterant coenae illae vinculis coarctari, quae triumpho Germanico mille mensis populo (6) sunt paratae? Quibus Chio, Falerno, ac Mamertino Quirites sane omnes mero (7) inebriabantur? Quibus denique, ut ait (8) Martialis:

Vescitur omnis eques tecum, populusque, patresque.

18. Atqui gravem sententiae huic nostrae difficultatem praebet Cicero. In augurali namque Lentuli coena (quam et aditialem, non a ferculorum ut Gutherio placuit (9) adiectione, sed a novi aditione Sacerdotii dicebant (10) veteres) Tullius interfuit, ut Lentulo auguratum adeunti honorem praeberet: Legem vero sumptuariam sibi fraudi fuisse dicit: *Dum enim volunt isti lauti* (ipse ait) *terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos elvelas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius* (11): Legibus ergo sumptuariis coenas augurales aliquis dicet obnoxias.

19. Gravis quidem difficultas, sed quae, ut solvatur, non Clario adhuc eget Apolline. Ne tot enim claris adversetur ipse scriptoribus, Tullius explicet Tullium, et clivosa in Marci loco, si quae sunt, Marcus explanet. Non ait sane Cicero in augurali coena Lentuli *sumptuariam legem fuisse servatam*. Sed eam *sibi fuisse fraudi*: quia nempe lauti illi homines, atque opipari, novo quodam ducti ambitionis genere, qui antea vilissimus erat cibus a lege exceptus, malvas, betas, fungos, elvelas, herbas denique omnes

(1) Plaut. Menechm. act. 1. sc. 1. v. 25.
(2) Horat. l. 1. od. 37. l. 2. od. 14. v. 25.
(3) Martial. l. 12. epig. 48. v. 12.
(4) Varro de Re Rustic. lib. 3. c. 2.
(5) M. Tull. Cic. ad Att. l. 5. ep. 9.
(6) Sveton. in Tiber. c. 20.
(7) Plin. l. 14. cap. 15.
(8) Mart. l. 8.
(9) Guther. de Vet. jur. Pontif. l. 1. c. 26.
(10) Lips. de Magnitud. Rom. l. 4. cap. 9. circ. fin.
(11) M. Tull. Cic. ep. Famil. l. 7. ep. 26.

nes *in honorem adduxere, quas ita condiebant, ut nil posset esse suavius.* Scitissimis itaque condimentis nova haec herbarum fercula in honorem adducta, potiusquam parcimoniae, sumptui, atque ambitioni favebant. At non una perinde herbarum fercula augur apposuit Lentulus, sed et murenas, et ostreas, caeteraque sumptuosiora lege interdicta. Itaque Cicero, qui, ut ait de se alio loco (1), ad Papirium, cum minime edax, tum sumptuosis coenis inimicus, lege vetitis praetulit in augurali illa coena cibos exceptos. Lex illi ergo fraudi fuit, quia cibos a lege exceptos putans innocuos, *dum se facile ostreis, et murenis*, ut ipse ait, *abstinebat, a beta, et a malva deceptus est, ut in pessimam diarrhaeam inciderit.*

20. Nitorem Tullio, meaeque sententiae tradit non aspernendus Svetonii locus, qui de Claudio scribens (2) haec ait: *sextertiûm octogies pro introitu novi sacerdotii COACTUS IMPENDERE:* Verum si in ingressu sacerdotii coenas Fannia lex, aut Licinia comprehendisset aditiales, *COACTUS quomodo Claudius diceretur?* Non ne in *contrarium potius coactus dici*, lege impellente, debuisset? Atqui ad enormem hanc Claudius impensam, quae ad ducenta ascendit millia philippicorum (3) *coactus fuit*, et ad eam decidit rei familiaris angustiam, ut ipsomet Svetonio (4) tradente: *cum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum Lege praediatoria venalis pependerit sub edicto praefectorum.*

21. At quae omnem quaestioni huic nostrae finem imponunt, verba sunt Senecae, qui de frugalissimis ante se viris, coenas aditiales in ingressu sacerdotii, aut dignitatis parantibus, sermonem instituens, ait eos (5) tricies usque sextertium, hoc est septuaginta quinque millia philippea (6) impendisse. Age vero, an tu servatam Fanniam ab his, aut Liciniam dixeris, quae vix integrum, ex Lipsii computo, ad impensam philippicum sinunt (7) expendere? Haec tamen ipsissima verba sunt Senecae. *Tricies tamen sextertium aditiales Coenae frugalissimis viris constiterunt. Eadem res, si GULAE datur, TURPIS est, si HONORI REPREHENSIONEM effugit.* Quid his quaeso, Collegae optimi, verbis clarius? Si enormis impensa haec *gulae* datur, *turpis* est; *turpe* enim omne, quod *legi adversatur*: siu datur *honori*, *reprehensionem* effugit, quia a *lege excipitur* non a *lege damnatur*; non enim, si *Legi subesset*, si cum

 le-

(1) Ad Papir. Pet.ep. Fam. l. 9. ep.23.
(2) Sveton. in d. cap. 9.
(3) Ex Comput. Lips. de Magn. l. 4. c. 9. circ. fin.
(4) Sveton. Claud. c. 9. in fin.
(5) Seneca epist. 95.
(6) Ex Computis Lipsii de magn. Rom. l. 4. c. 9. vers fin.
(7) Lipsius d. cap. 9. in princip.

lege pugnaret, reprehensionem effugeret. Coenae igitur omnes aditiales, capitolinae, salares, ac similes (quia vel Deorum, vel bonorum honori dantur) uti reprehensionem effugiunt, ita nec Liciniae, nec Fanniae subsunt; quin imo vacuam omnino faciunt nostram errore sententiam.

22. Dicet vero fortasse quispiam me a recto aberrasse, cum Fanniam nihil praeter philippicum ad impensam cibariam dixerim concessisse. Dixi, et iterum dico: *Fannia non ultra philippicum*. Num autem nuptiae philippico? Ita quidem, neque Cynicae, sed fortasse Aristippicae. Monstra narras, nisi rem explices: itaque explicabo. Fannia centusses, idest centum concedit asses, dracmas scilicet decem, quibus constat (1) philippicus. Decem vero dracmae tertio sub bello Punico quo lata est Fannia, lurconum fortasse gulae satis non fuere, honesto convivio plusquam satis; id si probavero, me exsolvam pignore.

23. Bos igitur totus minoris, quam dimidium est philippici, venum ibat. Monstrum monstro probare videor. At in hoc monstro *et pes, et caput uni reddetur formae*, meamque ita fidem liberabo. Plinius mihi praes erit; is enim, ait sub bello Punico primo: *carnis pondo duodecim singulis assibus veniisse* (2); quingentarum itaque bos librarum quatuor circiter prostabat drachmis. Idem Plinius Varrone tradit auctore: *assibus singulis* (3) *fuisse farris modios singulos: item vini congios, olei pondo decem, et fici siccae pondo triginta*: Drachmis igitur pene duabus coena, et quidem lauta constabat. Verum antiquiora haec sunt: ad ipsum censorii Catonis aevum descendamus. Auctor nobis sit, duxque Polibius, qui de Galliae Cisalpinae fertilitate verba faciens haec ait (4): *medimnum frumenti Siculum quatuor obulis veniisse, hordei duobus: viatorem in his locis nil cum diversitore pacisci, sed bene, et laute habitum, abeuntem solvere dimidiatum assem*.

24. Denique Appianus de superiori aevo Sullano verba faciens, de Lucullo, e Ponto praedas agente, haec ait (5): *Mancipium quatuor drachmis venale fuisse, bovem una; capras, oves, vestes pari vilitate*.

25. Dum haec tacitus pendo, gravis illa Taciti nostri sententia occurrit, qui post quam enormes coenarum ab Actiaco bello ad arma Galbae sumptus enumerat, et introductam Ve-
ſpa-

(1) Lips. de magn. Rom. lib. 4. c. 9. in princip.
(2) Plin. lib. 18. c. 3.
(3) Ibid.
(4) Polib. l. 2.
(5) Appian. Alex. de Bell. Mitridat.

spasiani ponderat parsimoniam, *cunctis rebus inesse quemdam velut orbem*, ait, *qui, ut temporum vices, ita versat et morum* (1). In Italia haec quippe eadem nostra, paucis ab hinc saeculis, quae nuper Romae scripsimus evenisse, quodam velut orbe circamacta rediere. Ex codicibus enim Frescobaldis, ac Joannis de Uzano, haec legimus de conviviis a Republica Florentina paratis (2). *Desinare dato a messer Guido conte di Romagna, e a messer Giovanni Manfredi signor di Faenza lire quindici, soldi diciassette, e denaro uno. Desinare, e cena fatta, quando giurò moglie, costò in tutto, fatte ogni spese di carne, e confetti, e di ogni altra cosa; lire venti. Nota dei prezzi, ai quali sono state vendute in Firenze le grascie, il bestiame, i terreni, lane, sete, drappi, e panni dal 1427. al 1470. Barili 3. vino Greco lire 3. Vino comune barili 90. lire 76. Buoi para uno lire 37. Muggini salati il cento lire 4. Legne catasta una lira una, e soldi cinque. Braccia una scarlatto lire una, e soldi cinque. Braccia due veluto lire due, e soldi cinque. Oglio il barile lire sei: terreni nel popolo di S. Maria a Montughi lo stioro lire cinque: nel popolo di S. Maria a Monticelli lire tredici.* Quae tam grandem rerum venalium vilitatem effecerint exponere, hujus non est instituti; sed quae in causa fuerint, dum Lucensium Senatui a consiliis adessem, typis mandavi (3). Nunc rem regrediens Romanam, eam, quam quis valeret objicere, absurditatem propellam, dum discrepantiam, omnino immanem Fannianam inter, et aditialem coenam opponet: nodum igitur, si qui supersit, fauste feliciterque dissolvam.

26. Et re quidem vera si, instruendo convivio, res, honesto victui accommodatae, parandae forent, Fannia quidem lex lautae non oberat Coenae: quod si vero voluptuosa piscium, et avium fercula exhibuisse mens esset, oberat sane Fannia lurconibus. Unius namque piscis praetium excedebat bovis: hinc censorius ille Cato publice est quaestus: *non posse salvam esse urbem, in qua piscis pluris, quam bos veniret* (4). Si ergo ex ultimis maribus, montibusque, ut mox dicemus, aves, piscesque deducerentur, tunc aditialium coenarum impensa neque incredibilis, neque enormis, licet immodica; si autem vitulo, ac bove, aliisque cibis instrueretur nostratibus, impensa, quam Fannia praescripsit, satis erat et super.

27. Quod si Gellius noster *misellos* ait, increpatos a Lucilio

C 2

(1) Corn. Tac. annal. l. 3. p. 43.

(2) Relat in mea Decis Lucae impressa in Lucana, Pacti Commissorii 26. Febr. 1776. coram Trenta.

(3) Vid. laudat. Decis.

(4) Senec. epist. 95.

lio *Fannii centusses*, ego Lucilium virum bonum, ac Pompei avunculum, in medium proferam, una et defendam. Non ergo Lucilius centusses vituperat Fannii, sed Publium inducit quemdam, vere gurgitem, helluonemque, qui hos irridet centusses, victui honesto ceteroquin satis respondentes. Haec sunt verba Lucilii (1).

. . . . *O Publi, o Gurges*
Quod sumptum, atque epulas VICTU PRAEPONIS HONESTO
Legem vitemus Licini,
Fanni centussesque misellos.

Stat ergo ad ultimum honestioris notae viris, *Fanniam*, *Liciniam*, *Aemiliam* non ingratam, gurgitibus, helluonibus nunquam satis invisam.

28. Enim vero gurgites, helluones ita multi, ita in dies universi, ut non modo voracem fecerint gulam, sed omnino ingeniosam. Idem igitur evenit fatum sumptuariis legibus, ac censoribus: ut enim censoris judicium, monente Tullio, *nil pene damnato afferebat* (2) *praeter ruborem*, ita Fannia, Antia, Licinia, et similes, incredibili audacia caepere contemni, ut in penitus immanem, neque dicendam, Romani mores luxuriam (3) prolapsi fuerint. De Antio itaque Restione, Antiae legis Latore, memorabile hoc refert Macrobius, cum foris, post eam a se latam legem, quoad vixerit, non coenasse, ne testis ipse legis contemptae fieret (4).

26. Licet igitur interdicta coenis asserat Plinius (5) abdomina, glandia, vulvas, testiculos; licet eodem dicat modo glires mensis ademptos, quo (6) et conchilia, et alio ex Orbe avectas aves, non tamen apud viros illos Consulares, maxime piscinarios.

. . . . *Poterat Coena esse sine istis* (7):

hinc ubique abdomina vides, glandia, vulvas, atque testiculos, aves denique peregrinas, gliresque ipsos melle, ac papavere (8) sparsos; hinc Tiberius ipsemet Imperator, Princeps, ac licet parcimoniae deditus, licet mullum ingentem millibus quinque HS., hoc est philippicis (9) centum vigintiquinque, vendiderit, nec mensae (10) propriae inferre ausus fuerit, adhuc tamen, dum sum-

---

(1) Ex fragm. Lucil. in Corp. omn. Veter. Poet. t. 1. p. 407.
(2) M. Tull. Cic. l. 4. de Republ. ex Nonio: inter Fragment. Cicer. p. 671. in fin. et 672. in princip.
(3) Petron. in Satir.
(4) Saturnal. l. 2. c. 13.
(5) Plin. l. 1.
(6) Plin. l. 8. c. 57.
(7) Horat. in epist. ad Pisones.
(8) Petron. Arb. in Coena Trimalch.
(9) Ex comput. Lipsii de Magnit. Rom. lib. c. 7.
(10) Seneca epist. 95.

Digitized by Google

sumptuariae iterum leges per Senatum flagitarentur, in haec verba disseruit (1). *Quid primum prohibere, et priscum ad morem recidere aggrediar? Villarum ne infinita spatia? Familiarum numerum, et nationes? Argenti, et auri pondus? Aeris, tabularumque miracula?* Remque sic infectam reliquit, donec, ut prosequitur scriptor (2) Annalium: *luxus mensae a fine Actiaci belli ad ea arma, quibus Servius Galba rem Romanam adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti paulatim exolevere.*

30. Sumptuariis itaque legibus omnino tacentibus, Romanorum fuere coenae luxu, libidine, spurcitia, crudelitate quin immo ipsa refertae. Luxus itaque coenae, potissimum *Rectae*, atque *Dubiae* is fuit, qui nec describi, nec credi, nec cogitari facile possit. Singula paucis absolvam. Rectam vocabant Coenam, quam dabant ii, qui, ut ait Seneca, recte vivere (3) dicebantur, in qua non una essent convivae portione contenti, sed terque, quaterque reposcerent (4).

Rectam vocatus cum recurrit ad Coenam,
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum.

Dubiam et hanc vocabant nempe

Ubi tu dubitas quid sumas potissimum,

ut ait Terentius (5). Tanta in his ferculorum copia, ut quamvis a plerisque cibis singuli temperassent, tamen omnes coenam solebant laudare universam, ut de se ingenue testatur Plinius (6).

31. Non igitur mirum, si neglectis, ac spretis horis more majorum ad coenandum indictis:

Exul ab octava Marius bibat (7):

quin imo solerent, ajente Horatio, voraciores

De medio potare die (8):

Coenasque ad mediam usque (9) noctem producere, ut quo quisque intemperantior, eo maturius convivari, eo serius de Triclinio deberet surgere. Hinc nedum cibi, sed et vini laudata quantitas, commendata varietas. Neque aetas haec nostra recenti ac forsan potionum copia superbius incedat. Praeter mulsum quippe Romani, Setinum, Massicum, Falernum, Cecubum, Mamertinum, Chium, Gnidium, aliaque hujus generis millia, nonnisi multos post annos bibenda, vina condebant, quibus (10):

Pa-

(1) Corn. Tacit. annal. 3. libro an. VC. DCCLXXV.
(2) Corn. Tacit. ib.
(3) Senec. ep. 122.
(4) Martial. l. 7. ep. 19. et l. 8. epigr. 50. Sveton. in August. c. 74., et in Vespas. c. 19.
(5) Terent. in Phorm. act. 2. scen. 2. v. 29.
(6) L. 2. epist. 5.
(7) Juvenal. satir. I. v. 49. et Sat. 4.
(8) Horat. Satirar. l. 2.
(9) Sveton. in Neron. c. 27.
(10) Juvenal. sat. 5. v. 34.

. . . . *Patriam titulumque senectus*
Delevit multa veteris fulgine testae.

32. Vinum hoc Consulare appellabant, ex quo notas Consulares amphoris appositas exhiberet, ut illud proinde in Nasonis optatis esset (1):

. . . . *Mihi fundat avitum*
Consulibus priscis condita testa merum.

Quare Trimalchio lautissimus homo vinum Opimianum apposuit (2) annorum centum, quia ab aevo Lucii Opimii consulis ad suum saeculare excurrebat tempus. De hoc autem titulo vinariis amphoris apposito Plautus noster perbelle agit in Penulo, dum ait (3):

Ibi tu videns literatas fictiles epistolas
Pice signatas; nomina insunt cubitum longis literis:
Ita vinariorum habemus nostrae delectum domi.

Atqui non fictiles tantum amphorae, verum et vitreae, ut nostra ferme tempestate: *allatae sunt amphorae vitreae* (ait Petronius) *diligenter gipsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum* (4).

33. Qui vero in bibendo luxus! Quot literis constarent nomina convivarum, tot erant poculis absolvenda:

Naevia sex cyathis, septem Justina bibatur
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Sex jubeo cyathos fundere? Caesar erit (5).

Jam vero si alibi dicendi sors obtigisset, de ferculis, iisque minimis, tacerem, non auro, sed patrimonio comparatis, quippe qui ab ineruditis Auditoribus fidem penitus abdicarem. Quis enim crederet mullum, non certe ingentis formae piscem, ad ducentos usque veniisse philippicos. Tradente tamen Seneca, Tiberius Caesar donatum sibi mullum in macellum inferri, ac venire jussit; licitati sunt Octavius (6), atque Apicus: cum H. S. quinque millibus, hoc est centum, et vigintiquinque philippicis (7) Octavius emisset, gloriam victoriae est consecutus. Tres item mulli (8) triginta millibus veniisse tradit Svetonius. Quid quod Esopus histrio nova ductus ambitione in una patina, Plinio (9) tradente, posuit aves sermone humano vocales, millibusque senis coemptas sin-

(1) Ovid. Amor. 1. Mart. l 7. epigr. 78.
(2) Petron. Arbit. in Coen. Trimal.
(3) Plaut. in Penul.
(4) Petron. Arbit. in Coen. Trimal.
(5) Martial. l. 1. ep. 72. l. 9. ep. 95.
(6) Seneca epist. 95.
(7) Ex comput. Lipsiis de Magnit. Rom. lib. 4. c 7.
(8) Sveton. in Tiber. c. 34.
(9) Plin. epist. 95.

singulas, nulla alia voluptate se motum inquiens, nisi ut in illis imitationem manderet hominis. Praetereo margaritas, quas Cajus liquefactas aceto sorbebat (1); illasque mitto, quas ducentis quinquaginta philippeum millibus uno Cleopatra sorbuit prandio. Mitto ejusdem praetii coenam ab eodem Cajo imperatam, qui, ut ait (2) Seneca, omnium adiutus ingenio vix reperit, quo mediocrium provinciarum tributum coena una fieret. Coenas illas non attingo ab eodem Philosopho increpatas equestrem una die censum absumentes (3). Coenas a Nerone familiaribus indictas praetereo, quorum alteri Mellita L. S. quadragies, alteri pluris aliquanto (4) Absortio Rosaria, constiterunt, aurea scilicet millia centum. Duo tantum praeferam immania gulae monumenta: primum nempe: *famosissimam adventitiam coenam Aulo Vitellio a fratre* (Lucio) *datam, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinae, quam ob immensam magnitudinem Clypeum Minervae* (5) *dictitabat; in hac sacrorum jocinora, phasianorum, et pavonum cerebella, linguas phoenicopterum, muraenarum lactes a Carpathio usque fretoque Hispaniae*. Alterum de quo loquar, quotidiana Elagabili coena est, quem Lampridius (6) numquam minus centum H. S. ait coenasse, ac Vitelli proinde, Apiciique coenas vicisse. Vix haec sunt, quae posteri credamus: verum redit fides dum ab ultimis usque Imperii Romani terminis, fercula exquirentur, ut merito in eos inardescat Seneca, quorum luxuria tam invidiosi Imperii fines trascenderet, quorum non taederet aves a Partis repetere, a quibus poenas nondum repetissent (7). Si ergo fercula extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria mittebant (8); si infami delectu patet scriptos in provinciis aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse convivis, nec porcum, ut ait (9) Petronius, gravidari posse mirabimur, nisi forsan admirationem multiplex, et ignota, et inaudita luxuria tollat.

34. Quid jam de coenatoriis vestibus dicam, undecies una usque coena mutatis?

Undecies una surrexti Zoile coena
Et mutata tibi est sinthesis undecies (10):

Quid

(1) Sveton. in Caligul.
(2) Senec. in epist. Consol. ad Elvid.
(3) Senec. in epist.
(4) Sveton. in Neron. cap. 27.
(5) Sveton. in Vitell. c. 13.
(6) Lamprid. in Elagab.
(7) Senec. in Consol. ad Elvid.
(8) Latinus Pacatus Drepanius in Paneg. ad Theodos.
(9) In Coena Trimalch.
(10) Martial. l. 6. epigr. 80.

Quid vero de auro, aut argento, aut gemmis, quibus non ornata, sed ferme onerata mensa Quiritium? Cives antiqui moris puro utebantur argento, hoc est, non caelato, sumptuosiores caelato, et signis aspero (1)

Ingens argentum mensis caelataque in auro
Fortia facta patrum (2):

Aerea vasa potius, quam ad usum, ad memoriam servabantur antiquitatis (3): verum et caeperunt argentea vilescere. Aetate quippe Tiberii Caesaris: *multa in luxum civitatis indicta; decretumque, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent* (4). Atqui neque hoc diu aut multum obtinuit; passim enim legimus in veterum inscriptionibus *praepositos auri escarii libertos*, ministros (5) nempe auro mensam onerantes; unde ludens ait Martialis (6):

Auro, non dapibus oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulae:

35. Aurum hoc autem escarium, ac potorium continebat pocula cujusque generis, lucernas (quoniam candelabrorum usus pene nullus, nisi in sacris) vascula, pelves, scutellas, promulsidaria, repositoria, cacabos, aquiminaria, nasiternas, parapsides, atque his similia ab Ulpiano primum nostro, inde a Guterio, et Pignorio enumerata (7): hinc apud Gruterum legimus:

Ab auro gemmato libertum (8):

hinc apud Tullium Verrinam gemmatorum poculorum rapinam (9); hinc apud Martialem (10):

Gemmatum Scithicis ut luceat ignibus aurum:

hinc demum Plinius eousque luxum quaeritur processisse, ut gemmas digitis detractas, poculis quidam insererent (11). Nec gemmata satis erant vascula, si gemmea ipsa defuissent: hinc *spumasse Falerno capaces gemmas* ait sequiori usque aevo Sidonius (12) et divus Cyprianus: *suspiret ille in convivio, bibat* (13) *licet gemma*; et Hieronymus (14): *beatiores ne tibi videntur, qui gemma bibunt*? Antiquior denique his omnibus Virgilius (15):

Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.

36. Huc

(1) Plin. epist. 3. l. 1.
(2) Aeneid. l. 1. v. 644.
(3) Tertul. de Habit. Mulier. c. 5.
(4) Tacit. Annal. l. 2.
(5) Laurent. Pignor. de oper. Serv. p. 127. Gruter. p. 589. n. 9.
(6) Martial. l. 5. epigr. 78.
(7) Ulpian. in leg. cum aurum ff. de aur. et arg. legat Guter. de offic. Domus Augustae l. 3. c. 16. Pignor. loc. sup. cit.
(8) Gruter. p. 592. n. 5.
(9) M. Tull. Cic. in Verr.
(10) Lib. 4. epigr. 109.
(11) Plin. l. 37. c. 2. Salmas ad Vopiscum in Vit. Saturn.
(12) Sidon. Apollinar. ep. 11. l. 13.
(13) S. Cypr. epist. 2. l. 2.
(14) S. Hieron. ad Pammach.
(15) Georgicor lib. 2. v. 506.

36. Huc ergo Quiritium ambitio pervenit, ut, cum nihil aliud natura jubeat, quam famem eximi, ac sitim extingui, argenteis, aureis, crystallinis, murrinis, gemmeis denique vasculis uti ad extinguendam, eximendamque famem, sitimque, luxuria juberet. A luxu ad libidines descendamus. Coenae, lectione antiquitus ornatae, tractu temporis cantu hilares, ministris deinde liberiores, omni tandem solutae libidine. Lectio primum in coenis habita, ut enim ait in Attici vita Nepos: *numquam sine lectione aliqua apud eum coenatum est, ut non minus animo, quam ventre convivae delectarentur* (1). Quandoque lectioni cantus, aut sonus accedebat; quare sic amicum Plinius alloquitur suum (2); *audisses comoedum, vel lectorem, vel lyristen, vel (quae mea liberalitas) omnes*. Quidam, sua ut carmina recitarent, convivas unice vocabant ad coenam, miroque afficiebant fastidio: unde haec ad rem Martialis (3):

Haec tibi, non alia est, ad Coenam causa vocandi,
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos:
Deposui soleas: adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis,
Sed nihil omnino, te recitante, placet,

37. Sed haec tolerabiliora fortasse, nisi omnino foeda viderentur triclinia omnia, cantu mimico resonantia. Quamvis enim, et Graeci deorum laudes canerent in conviviis ad calices (4), et Romani veteres idem facerent, ut clare testatur Tullius, eo tamen processit luxus, ut plus in commessationibus cantorum esset, quam in theatris spectatorum (5); nec sine cantu bibere hominis ingenui esse putarent (6). Hinc signum in coenis simphonia dabatur, et gustatoria pariter a choro cantante rapiebantur (7). Tota igitur triclinio inserviens familia cantabat, ut, si quis poculum posceret, paratissimus puer acido non minus convivam cantico exciperet (8): et hi quidem pueri simphoniaci vocabantur (9) verum nec uno erant cantu contenti, nisi saltatio admisceretur: *processit statim scissor* (ait Petronius) *et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare* (10). Saltantis hanc autem structoris, sive scissoris imaginem optimo quidem penicillo Juvenalis delineavit his versibus (11):

D *Stru-*

(1) Cornel. Nep. in Vit. Pomp. Attici 14. 1.
(2) Plin. epist. 1. 15. n.
(3) Mart. 3. 50., idem 3. 45.
(4) Plato in Simposio.
(5) Isidor. l. 2. c. 15.
(6) Cicero in Bruto c. 19.
(7) Plin. ep. 84. Bulenger. de Imper. Roman. 2. 33. Petron. in coen. Trimal.
(7) Petron. ibid.
(8) Macrob. sat. l. 2. c. 4.
(10) Petron. ib.
(11) Juvenal. sat. 5.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.

O miseras, licet celebres, scissorum scholas, quibus huic uni rei vivere satis esset, ut decenter altilia secarent! nisi miseriores forte fuissent qui haec voluptatis causa docerent, quam qui necessitatis ediscerent (1)!

38. Verum qui ex ultimis usque unguiculis perpruriscentem libidinem excitarent, puerorum, puellarumque coenae ministrantium coetus erant, numero certe enormes, unde (2) Cicero: *adsint formosi pueri, qui ministrent*, et Virgilius (3):

Centum aliae, totidemque pares aetate ministri
Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.
Praecincti pueri recte, compteque ministrent (4).

Non parvo hi quidem pueri prostabant pretio, qui et criniti, et capillati, et calamistrati dicebantur: unde Seneca: *crinitus puer poculum tibi porrigat* (5): et Petronius *inter pueros capillatos ludentem pila* (6). De calamistratis vero ajunt Hieronymus, atque Apulejus (7) quorum precium innuit Juvenalis dum ait (8):

. . . . . . *Nescit, tot millibus emptus,*
Pauperibus miscere puer.

Horum alebant coetus Romani, et pedagogia dicebant (9), ac pretiosa veste cingentes, ad transitum virilitatis argenteis Veneri arcendae fibulis custodiebant (10): quorum tamen Alexandrini pueri forma, et nequitia praestantiores ad libidinem in conviviis excitandam. Quamobrem Trimalchionis convivae (11) discumbebant, pueris Alexandrinis aquam nivatam ministrantibus, eosque Martialis exoptat, dum ait (12):

Audi quem puerum, Flacce, rogare velim:
Niliacis primum puer hic nascatur in oris:
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

30. Verum ad majora veniamus: ab Aegyptiis Romani pejora didicere dedecora: in Aegyptiis quippe conviviis tradente (13) Curtio

(1) Senec. in l. de brev. vit. et in ep. 6.
(2) Cic. ep. fam.
(3) Virg. aeneid.
(4) Horat. l. 2. sat. 8.
(5) Senec. epist. 120.
(6) In coen. Trimalc.
(7) S. Hier. ad Savinam L. Apul. de Deo Socr.
(8) Juven. sat. 5. V. 60.
(9) Ulpian. in leg. in §. 32. ff. de instruct. vel instrum. legat.
(10) Senec. de Vit. Beat. et in ep. 123. Plin. ep. 33.
(11) Petron. ib. et Janus Douza ad eund.
(12) Martial. l. 4. epig. 42.
(13) Q. Curt. Ruf. lib. 5. c. 1. vers. 38.

tio Rufo, foeminarum in principio modestus est habitus; dein illae ſummo exuunt amiculo, paulatimque pudorem profanant; ad ultimum ima corporum velamenta projiciunt: nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum, virginumque, apud quas comitas est vulgati corporis vilitas. Ab his edocti sane Quirites. Quare Tiberius Caesar: *Sextio Gallo libidinoso, ac prodigo seni coenam ea lege condixit, ut nudis puellis ministrantibus coenaretur* (1): et Nero ipse Claudius in naumachia, Martio campo, vel Circo maximo *inter scortorum totius Urbis, ambubajarumque ministeria, coenitaret* (2). Quid vero de coena dicam a Tigillino parata, libidinum omnium magistro (3)? Is *in stagno Agrippae fabricatus est ratem, cui superpositum convivium aliarum tractu moveretur: naves auro, et ebore distinctae; remigesque exoleti per aetates, et scientiam libidinum componebantur: crepidinibus stagni lupanaria adstabant inlustribus foeminis completa; et contra scorta visebantur nudis corporibus: jam gestus motusque obsceni.*

40. Age vero, ista ne medio fiebant convivio? Ista quidem, et foediora: nam pueri, puellaeque, convivarum corpora pertractantes, non, ut quidam falso putant, ad sanitatem confricabant, sed ad libidinem commovebant; quam ad rem Martialis (4):

. . . . . tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello:
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris.

Jam vero *tractare, et pertractare*, quis in obscenis esse non videt? *Pertractato VASCULO tam rudi: hoc*, inquit, *belle Quartilla, in promulside libidinis nostrae militabit* (5): vasculum hoc sane quiddam sonare obscenum meus item Plautus ostendit, inquiens (6):

Facio quod manifesti moechi haud ferme solent:
Refero vasa salva.

Haec igitur *tractatio* obscena, atque inde *tractatrix*: quod et alio loco, de coena Turanii agens, probat Martialis (7), dum ait.

Nec de Gadibus improbis puellae
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Optime autem omnium Lampridius, qui de Elagabalo haec tradit (8): *in conviviis exoletos maxime juxta se ponebat, eorumque ATTRECTATIONE et tactu praecipue gaudebat*: embasicoetas, spatalocinoedos,

(1) Sveton. in Tiber. c. 42.
(2) Idem in Neron. c. 27.
(3) Corn. Tacit. Annal. l. 15.
(4) Martial. l. 3. epigr. 82.
(5) Petron. in Quartilla.
(6) Plaut. in Penulo.
(7) Martial. l. 5. epigr. 79.
(8) Lamprid. in Heliogabal.

dos, et similes, aliquid obscenius in conviviis patrantes, referre modestia non sinit. Quare ad spurcos potius, quam impudicos, convivarum mores transeamus.

41. Romanis turpe quidem in senatu ructare, ut ait Cicero (1): non item in triclinio:

Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci (2).

Quia immo medio ipso convivio matellam poscebant (3):

Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatae sciscitator urinae:

nedum *matellam spado supposuit, dum Trimalchio concrepuit digitos* (4), sed paulo post *argentum quoque lasamnum* (5), quo nil certe foedius: quare insanum hoc tradit Elegabili exemplum Lampridius (6), *onus ventris auro excepit, in murrinis, et onychinis minxit*, et Martialis foeminam ridet, quae, dum vitreo vase biberet, aureo cacaret (7):

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa; bibis vitro: carius ergo cacas.

Sed de his forte nimia: crudeliora, et horrenda supersunt.

42. Cum Quirites coenitarent, maximam obtinebant gratiam gladiatorum caedes, et mortuorum, nedum morientium imagines (8).

Quin etiam exhilarare viris convivia caede
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, saepe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non pauco sanguine mensis.

Morientium mortibus accedebant mortuorum imagines; larvas nempe mortuorum aut capita, media apponebant mensa, ut homines mortis recordarentur, et propterea ad epulandum largius se se invitarent. Convivas igitur convivii rex hortabatur (9) his versibus:

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est.
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus;
Ergo vivamus, dum licet esse bene:

iisdem nempe verbis, quibus utebatur et stultus: *umbrae transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri. Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura, tamquam in juventute celeriter. Vino praetioso, et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod*

(1) M. Tull. Philip. 2.
(2) Martial. l. 3. ep. 82.
(3) Martial. ibid.
(4) Petron. in Auctuar. coen. Trimalch.
(5) Petron. ibid.
(6) Lamprid. in Heliog.
(7) Martial. 1. ep. 38.
(8) Sil. Italic. Punicor. XI. Just. Lipsius Saturn. sermon. c. 6.
(9) Petron. in coena Trimalch. Vide Georgii Erharcli Simbolas ad Petron. p. 611. et 612.

quod non pertranseat luxuria nostra . Nemo vestrum exsors sit luxuriae nostrae : ubique relinquamus signa laetitiae ; quoniam haec est pars nostra, et haec est sors nostra (1) .

43. Stultorum ergo , lurconum , comedonum , immo impiorum haec erant convivia , non nostra quidem invidia , sed miseratione , sive , ut verius dicam , indignatione dignissima . Quae legi , quae collegi , quae scivi de Romanorum conviviis , dixi : mea quaedam etiam produxi . Si quid aliter est , mendacium fortasse dixi , mentitus certe non fui . Erranti ergo Praesul amplissime , Collegae optimi , veniam , non erranti favorem praebeatis , oro ; ut hunc consessum vestrum complectar et teneam , atque augeam in dies . Kalendis Martiis 1775.

Philippus Trenta pro S. R. Eccleſia Bononiae praetor .

DISSERTATIO III.

In A. Gellij cap. 2. lib. 3.

De Barbis .

Omnium , quae in hominum doctorum disputatione versantur , nihil sane praestabilius puto , quam varias noscere hominum habitudines ; ac victus , vestium , laetitiae , luctus , morum denique omnium , quos vel servavit , vel invexit , vel abdicavit antiquitas , consuetudines callere universas . Dum ergo Gellius hic noster (2) de barba Scipionis , deque barbae radendae more sermonem instituit , ne tricas eum quaeso , et quisquilias egisse arbitremini . Faveatis autem oro , Collegae optimi .

Spectatum admissi risum teneatis amici (3) ?

de barbis enim dum ipse loquor , neque ridenda loquar , neque temnenda . Quot enim rixas , quot certamina , quot pene dixerim proelia vel radenda , vel tondenda , vel expungenda barba , excitaverit , optime nostis . Ni haec fuissent , deesset certe nobis Oratio illa satis bella pro barbis edita sacerdotum (4) ea deessent vota , quae Armannus Luscus ab epistolis Pauli tertii pontificalibus, magno Pauli nepoti Farnesio porrexit , propriae honorem barbae commendans , quam

(1) In lib. Sapient. c. 2.
(2) Aul. Gell. Noct. Attic. l. 3. c. 2.
(3) Horat. in Epist. ad Pisones.
(4) Pierij Valeriani ad Card. Hippolitum Medicen anno 1531.

quam Parmensis vicarius, Lateranensia decreta veneratus, severiori novacula insectabatur (1): Berniana illa denique carmina non haberemus, quibus laudat, ac deflet lepidissimus ille poeta noster(2), *La barba di Domenico d' Ancona*.

2. Profecto si a nostris hisce pene saeculis ad remotiora excurramus, mirari fortasse quis posset unam tanti fuisse barbam, ut suam Baldovinus comes, cùm pignori dare non valeret, hypothecae subjecerit; ac licet eo se legum praesidio niti voluisset, quo mobiles res suscipiendae hypothecae aptas non esse probasset, maluit tamen, cum summo novaculae subeundae discrimini obnoxiam inspiceret, illud pati, ut socer Armenus aureis triginta millibus periclitantem generi barbam recuperaret (3). Quaestiones praetereo, quae nostrates inter, et Graecos peperit barba: non enim Ratramnus Corbejae monachus, non pontifex Lutetiarum Aeneas fuere satis (4) qui eas dirimerent. Mirabile dictu! Gregorius ille septimus, religionis, ac pontificiae auctoritatis propugnator acerrimus licet totius occidentalis ecclesiae clerum ab ipsis fidei Christianae primordiis barbam radendi morem (5) tenuisse pronunciaverit, Graecorum clerum ad barbam radendam adducere minime potuit. Quid, quod Julianus ipse Romanorum imperator causam (6) debuit barbae suscipere? David vero cujus legatis dimidias rasit (7) Hanon et barbas, et vestes, bellum Ammonitis intulit, et filios Ammonis, Syrosque, ab iis in praelia conductos, profligavit. Quas ob res agnoscatis, oro, Collegae optimi, argumentum a me vobis offerri non translatitium.

3. A Gellio igitur nostro incipiam, qui dum Scipionem sexagenarium barbam rasitasse miratur, dumque veterum plerosque Quiritium idem egisse ex eorum colligit imaginibus, meam excitat, augetque admirationem. Age vero: qui potuit Scipio sexagenarius radi, cum anno aetatis suae sexto, et quinquagesimo immaturus occiderit? At mendum irrepisse cum Gronovio (8) dicamus, et quadragenarium pro sexagenario scriptum arbitremur; Gellii tamen admiratio nec modum habet, nec rationem. Cur enim Scipionem barbam rasitasse quadragenarium miratur Gellius, si eademet ipsa Scipionis aetate admissos primum scripserit Plinius e Sicilia tonsores? Si eodem tradente Plinio (9), primus omnium Scipio radi in-

(1) In sua Epistola 1529. Latino Iuvenali scripta qua legitur inter collect. ab Athanasio t. 1. p. 40

(2) Berni Rime.

(3) Aymon de Gestis Francorum apud Barthium l. 1. c. 7.

(4) Lud. Murat. Dissert. 43. p. 290.

(5) S. Greg. VII. epistolar. l. 8. ep. 10.

(6) Julianus in Misopogon.

(7) Reg. l. 2. c. 10.

(8) Gronov. in not. ad A. Gell. in c. 4. l. 3.

(9) Plin. hist. nat. l. 7.

instituerit ? Atque, si novus radendae barbae tunc mos inductus, nedum media Romani veteres aetate, verum etiam extrema barbam tonsori debuissent praebere nonagenariam. Ineptire igitur mihi videtur Gellius, dum ex statuis, et imaginibus, radendae barbae media hominum aetate morem colligit. Ante Scipionem quippe barba, et coma omnes ferme prominenti, inculta, ac pene horrida. Scipionis aevo, admissis Siculis in Urbe tonsoribus, qua quisque pollebat aetate radebatur. Post Scipionem, ut mox dicemus, certa tunc Romanis tam tondendae, quam radendae barbae regula indicta. Aevo igitur Scipionem praecedente vel a Tullio (1) mutuari poterat Gellius, simulacra omnia veterum Romanorum barbam indistincte, comamque, horridas, intonsasque praetulisse; ut proinde avos, qua quisque fuisset aetate, intonsos (2), ubique appellet Ovidius; et Juvenalis, dum quid vult hispidum adnotare, id dicat (3):

> . . . . . *Dignum barba, dignumque capillis*
> *Majorum*.

Scipionis autem aevo, non a statuis, aut imaginibus, sed a Plinio doceri poterat Gellius, morem tunc primum barbae radendae inductum, ut, qua quisque proinde virilitate reperiebatur, leves fecerit genas (4): post Scipionem demum a clarioris notae auctoribus eam poterat normam ediscere juventuti, ac virilitati praescriptam, qua annos tondendae, ac radendae barbae indictos inspiceret. Si hanc sedulam pervolvendis Gellius rei Romanae scriptoribus operam impendisset, nec sibi, nec nobis admirationis dedisset causam, sed accuratam, nec nostra laude vacuam, Romani hujusce moris tradidisset historiam.

4. Quod itaque omisit Gellius, pro viribus tentare conabor. Primò igitur de barbae radendae origine verba faciam: hinc clarissime sententiam Muratorii, aliorumque perstringam, qui Romanos barbam modo tondendam, modo radendam, non certa sane temporum lege, sed pro lubitu putant forficibus, aut novaculae porrexisse: celebritatem inde primae abrasionis, elegantesque ipsosmet radendi ministros ostendam; et quousque duraverit novaculae ministerium explicabo: praeterea de iis disseram, qui, vigente adhuc novacula, barbae honorem censuere servandum; et praecipue de Christicolis agam, Gregorii Septimi epistola (ea tamen, qua

(1) M. Tul. Cic. in orat. pro Marco Caelio c. 33.
(2) P. Ovidius Naso l. 2. Fastor. 29.
(3) D. Juven. satir. 3. 31.
(4) Plin. hist. nat. l. 7.

qua par est, veneratione) ad examen adducta, tandem eos memorare fas erit ritus, qui sacrum, quodammodo, ac religiosum, tondendi, radendique morem fecere.

5. Romanos multo serius, quam caeteras forte nationes, morem radendae barbae recepisse, plura nobis argumenta demonstrant, ut proinde non abs re duxerim me facturum, si a vetustiori gente intimam novaculae petam originem. Equidem mos hic nedum Scipiones verum etiam plurimis Quirinum ipsum Urbis aeternae conditorem saeculis antecedit. Nam de Sampsone haec ad ejus matrem coelestis nuncius: *concipies, et paries filium cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaraeus Dei ab infantia sua* (1), ac Samson de se fassus est, si rasum fuisset caput, omne robur recessurum (2). De Samuele item est traditum, super ejus caput novaculam non ascendisse (3). Regi vero Ammonitarum scelus hoc dicitur, servorum Davidis dimidias rasisse barbas, et vestes (4). Tandem Isaias dexteram irascentis numinis, novacula gravem, tragicis hisce designat verbis: *In die illa radet Dominus novacula conducta in his, qui trans flumen sunt, in Rege Aſſiriorum, caput, et pilos, et barbam universam* (5). Hebraea ergo novacula nedum Scipiones, sed et nomen ipsum videtur praecessisse Romanum.

6. Enim verò et apud Graecos mos hic longe Romano antiquior. Atheneus quippe tradit Graecorum barbam ad Alexandri usque tempora (6) in pretio mansisse, eo Rege radi repertum: reque vera numismata ipsa id ostendunt, dum Alexandri, ac successorum in Ægypto Regum Lisimachi, Ptolemei, Philadelphi, Philopatoris, ac Soteri, itemque in Siria Regum Seleuci, Triphonis, Epiphanis, aliorumque, qui genas exhibent leves (7). Novissime hunc ergo radendi morem recepere Quirites; quippe qui, nedum Plinio, verum et Varrone (8) scribente, non ante annum ab Urbe condita 454.: bellis scilicet Punicis, radi caeperint, prout numismata ipsa consularia intuentibus (9) nitidior Plinii, ac Varronis sententia constabit.

7. Quaestio hic satis bella suboriri videtur, an Siculis novaculis apud Romanos admissis, singuli certa lege Quirites raderentur, an potius pro lubitu, qua quisque vellet aetate, barbam vel radere, vel tantum tondere, sive, ut ita dicam, componere, ac ca-

(1) Judicum c. 13. v. 5.
(2) Judic. c. 16. v. 17.
(3) Reg. l. 1. c. 11. v. 11.
(4) Reg. l. 2. cap. 10. v. 4.
(5) Isaiae c. 7. v. 20.
(6) Atheneus lib. 13. Lipsius ad Tacit. lib. 14. pag. 160.
(7) Ex Museo Musell. t. 1. a tab. 1. ad 9.
(8) Plin. loc. cit.
(9) Ex Numism. relat. penes Choul. de Rom. Relig. p. 53. 67. 169., et 195.

castigare valuisset. Quaestionem, ob reluctantia veterum dicta, ita difficilem, atque implicatam habemus, ut a nemine diremptam viderim, redditam vero a quibusdam viderim fortasse implicatiorem. Clarissimus, quem semper honoris gratia nomino, Muratorius in eam venit (1) sententiam, ut crederet Quiritium aliis rasuram, aliis vero tonsuram barbae fuisse curae: eique causam dedere scriptores, qui modo de tonsa, modo de rasa uno aevo barba verba faciunt. Juvenalis quippe, cujus certe aetate barbae rasura vigebat, ita de se loquitur (2),

Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.

Barba ejus ergo tondebatur, alias non gravis, alias non tondenda, ſed radenda, alias non illum dedissent forfices, de quo loquitur, sonum, silet enim novacula. Attamen alio loco ipse idem Sergolium increpat, quia (3),

. . . . *radere guttur*
Caeperat.

Tonderi ergo, ac radi pro lubitu Valerius quoque Martialis, licet in suis Apophoretis (4) utilem genis radendis appellet novaculam, attamen se barbam non rasitare, sed unice tondere fatetur hoc versu (5):

Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,

et alio loco, hirquinam ridens Pannici barbam, haec ait (6):

Sic quasi Pythagorae loqueris successor, et haeres,
Praependet mento nec tibi barba minor.

Praeterea noster ille Tullius tondendae hunc, non radendae, morem innuit, dum Attico Pomponio barbatulos illos ostendit conjurationis juvenes (7), dumque Clodiam alio loco (8) Coelii barbula delectatam insimulat. Egregius ille quoque Neroniani temporis accusator Petronius barbatum exhibet his versibus horride nautam (9), *stetit in limine barbis horrentibus nauta*, cum e contrario de Augusto haec dixerit (10) Cassius: *Caesar tunc primum barbam radens, genas suas leves habuit*; denique ut caeteros mittam, Janus Douza, non obscuri certe nominis scriptor, de hoc Romanorum more sermonem habens, haec ait (11): *insuper in ministeriis, immo in deliciis habebant pueros, quorum frequenti opera non in tondenda coma pilisque vellendis modo, aut barba rasitanda, aequandaque simul, aut expungendis*

E ge-

(1) Dissertat. 23. p. 70.
(2) D. Juvenal. sat. 1. v.25.
(3) Sat. 6. v. 105.
(4) M.Valer. Mart. in Apophor. distic.36.
(5) Idem l. 11. ep. 40.
(6) Idem l. 9. ep. 48.
(7) M. Tull. ad Attic. l. 1. ep. 16.
(8) Idem in Orat. pro M.Caelio c. 32.
(9) Petron. in Satir.
(10) Dio Cassius l. 48.
(11) Janus Douza in Praecidaneis ad Petronium pag. 276.

genis, sed et pygiacis sacris .... utebantur. Si ergo barbam Quirites modo rasitandam, modo aequandam praeberent; rasura, et tonsura pro lubitu: recta ergo Muratorii nostri sententia.

8. Haec et ipse olim a vero non aberasse sum arbitratus; sed immane quantum erraverim, Collegae optimi, mox dicenda monstrabunt. Apud Romanos tonderi, ac radi receptum: hoc certe verum; promiscue radi ac tonderi, ut cuique libuisset: hoc sane non verum. Certa igitur omnes aetate tonderi tantum, certa vero etiam radi: dum omnes dico, eos dico, qui communem tenent cum bonis civibus vivendi consuetudinem, misso aliquo delicatulo a civili hominum more aberrante, quem ut monstrum insectatur Martialis his versibus (1):

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: unum quis putet esse caput?

9. Donec igitur Quirites ephebi essent, seque intra juventutem continerent, quae succreverat forte barbula tondebatur; cum vero juventutem exuerent, atque in viros transirent, tunc primum sane novacula genis immissa. Juvenalis quippe, ut vidimus, sibi juveni barbam ſub tonsore sonasse dicit (2); idemque ait profecto (3) Martialis, dum, prima detonsa barbula sua nigrescere narrat sudaria, non autem rasa. Barbatulos inde juvenes appellat Cicero (4); ac barbula Marci Coelii adoleſcentis formosissimi delectatam increpat Clodiam. Quod si Martialis (5) Pannico quasi Pythagorae successori, grandem dicat pendere barbam, et Petronius (6) stetisse scribat, in limine barbis horrentibus nautam, haec de nautis et philosophis dicta sunt, qui (ut caeteri, de quibus infra) barbam eamque horridam, ad mortem usque servabant. Caeterum urbanioris notae homines, cum juventutem exuerent, atque in viros tranſirent, barbulam, antea forſicibus tonsam castigatamque, tunc primum radebant; atque hinc optime Juvenalis explicat Juvenalem: is enim qui sibi, adhuc juveni, barbam sub tonsore sonasse dicit, contraria ratione Sergolium increpat; monetque, ne juvenem credant, ea nempe ratione (7):

. . . . *Quia radere guttur*
Caeperat.

10. Hinc etiam notanda maxime sunt (8) Cassii Dionis verba

(1) Martial. l. 8. ep. 47.
(2) Sat. 1.
(3) Lib. 11. ep. 40.
(4) Lib. 1. ep. 16. ad Attic. et pro Caelio cap. 32.
(5) Martial. l. 9. epigr. 48.
(6) Petron. in Sat.
(7) Sat. 6.
(8) Lib. 48.

Digitized by Google

ba illa de Augusto juventutem exuente: *Caesar tunc primum barbam radens et ipse diem plane festum habuit, et aliis publicam festivitatem indixit*; *atque ex eo etiam ipse genas leves habuit ad exemplum reliquorum.* Atqui si ad exemplum reliquorum fecisse constat, reliquos ergo Quirites juventutem excedentes, non amplius tonsos, verum rasos fateamur oportet: eoque certius, quo patet Augustum anno aetatis quinto, et vigesimo (1) barbam rasitavisse; tot enim anni a consulatu Ciceronis, et Antonii, quo natus est, ad Marcii, et Sabini, quo barbam rasit, plane intercedunt.

11. Quo praeciso autem anno Quirites hanc barbae rasuram celebrarent ignoro. Licet enim sequioris aevi scriptor Macrobius (2) ter septenarium annorum numerum ad hoc exigi scripserit, illud contra liquet, Cajum Germanici filium, Caligulam nuncupatum, barbam (3) anno aetatis vigesimo posuisse, Augustum, ut mox vidimus, quinto, et vigesimo: qua sane aetate comissatores illos conjurationis barbatulos juvenes, de quibus ait (4) Cicero, barbam dixerim rasitasse. Ut ut vero dies hic non certus, certo certius radendi tempus celebratum, cum juventus in virilitatem transiret.

12. Ajo autem celebratum; non enim dies hic celebritate carebat. Barba igitur illa, quam primum novaculae subjiciebant, alicui deo, pretiosa condita pyxide dicabatur. Quare barbam posuit Nero *conditam in auream pixidam, et pretiosissimis margaritis distinctam, Capitolio* (5) *consecravit*. Trimalchio, et ipse aediculam habuit, ubi *lares* (6) *argentei positi, et pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant*. Tandem Earinus, a Domitiani voluptatibus, barbam radens primam (7),

Pergameo posuit dona sacrata Deo,

nec deerant magis solliciti adolescentes, qui barbam, suo radendam tempore, alicui deo jam antea devovissent, de quibus ait ad rem Statius:

Ille genas Phaebo, crinem hic pascebat Jacco.

13. Nil ergo mirum, si, quas dicaverant, barbas, cum primum ponerent, celebritate donarent. Altera nec deerat ratio, cur solemnia deberentur. Ut enim Quirites tirocinii die pueritiam exuebant, sic, barba rasa, juventutem (8); atqui laeta dies, qua pura toga dabatur in signum remoti custodis, et positae pueritiae;

(1) D. lib. 48.
(2) In somnium Scipionis.
(3) Sveton. In Calig. c. 10.
(4) Ad Atticum l. 1. epist. 16.
(5) Sveton. In Ner. c. 12.
(6) Petron. Sat.
(7) Statius Thebaid. 8. 492.
(8) Just Lips. in Corn. Tacit. l. 14.

laeta ergo itidem illa, qua juventutem exuerent, atque in viros prima barbae abrasione transirent. Xenia igitur, coenae, convivia (1), atque, ut ait Juvenalis (2),

Plena domus libis,

mosque hic adeo fuit constans, ut usque ad sequiora imperii tempora perduraverit; nec vilia dona, sed eo preciosa in mores inducta, ut, qui modica darent, aut levia, Ammiano (3) tradente, conviciis appeterentur.

14. At quaeret fortasse quispiam, quinam in radendi ministerio essent? Servos, servasque fuisse primum ajo huic muneri destinatas, in publicis degentes tonstrinis, de quibus passim Plautus noster (4). Servas etiam dixi, quarum quaedam, fortasse forma praestantiores, crumenis potius sedulam, quam barbis radendis, navabant operam, ut proinde festivissimus ille Martialis ad rem optime scripserit (5).

Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet:
Non tondet, inquis. Quid ergo facit? radit.

15. Enim vero nobiliores Quiritium pueris egregia venustate tonsoribus utebantur: hinc poeta idem noster magnis extollit laudibus (6)

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbae.

Unde vero tantam in pueros artem advenisse putemus? A novaculis primum rudibus, ac retusis, quibus artem auspicarentur pueri, quo audaciores fierent, neque ad strictum peracuti ferramenti genus expavescerent, ut ex iis colligo Petronii (7) verbis: *rudis enim novacula, et in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret.*

16. At quousque viguit novaculae ministerium? Ad Aelium usque Hadrianum, qui prominentem barbam restituit, ut Dio (8), et melius exhibent nummi (9) quot extant. Ab Hadriano pogonati omnes ad Maximinum (10) Ciclopem, quem rasum (11) numismata ostendunt: rasos item inspicimus Gordianos ambos, quos Africanos dicunt, Caeliumque Balbinum (12): prolixam Pupienus retinuit (13) barbam; at Philippus coercuit, et quodammodo (14) or-

(1) Just. Lips. ib. Dio Cass. lib. 48.
(2) Satir. 4.
(3) Ammian. Marcell. hist. l. 27.
(4) Plaut. in Comoed.
(5) L. 11. Epigr. 17.
(6) Mart. l. 9. ep. 52.
(7) Petron. In Sat.
(8) Dio Cass. l. 68.
(9) Ex Museo Mussell. t. 1. in Hadrian.
(10) Ib. a tab. 75. et t. 2. usq. ad tab. 184.
(11) Ibid. a tab. 184. ad 186.
(12) Ibid. tab. 187 et 188.
(13) Ibid. tab. 189.
(14) Ibid. a tab. 198. ad tab. 205.

ornavit. Decius (1) novaculis est usus. A Treboniano ad Gallienum barba ad cutem tonsa, et pene (2) rasa, si quosdam ex tyrannis excipias, qui barbam (3) exhibent longam. A Claudio Gothigo ad magnum usque Constantinum nummi, quotquot extant, ita diminutas ostendunt barbas, ut videantur hae suscipiendae denuo novaculae procliviores (4). Constantinus itaque novaculam revocavit, eique reliqui (5) Caesares usque ad Phocam, si unum (6) philosophum Julianum excipias, morem gessere. Eadem pene proximis praeteritis hisce saeculis (obiter noto) barbae sors obtigit. Julius secundus barbam restituit, quae ad Clementem usque octavum oblonga, donec varie tonsa, et castigata, variasque perpeſſa vicissitudines, sub Clemente undecimo omnino fuit abrasa. Ad antiquos redeo. Phocas, cum imperium ad Graecos vere transisset, aulae barbam reddidit (7); et Constantinus quartus ex prolixa barba pogonatus est dictus. Ghoti, quippe qui Romanis obsequentes, radebantur (8): contra vero Longobardi, quasi Longobarbi, a prolixa barba sic nuncupati (9); quin etiam foeminae fluxam ita caesariem genis aptabant, ut nedum barbatae, sed horridae viderentur. Brittanni vero, ut ait Caesar (10) superiore labro excepto, reliquam radebant barbam: itemque Franci, ut ex Caroli Magni imagine colligi facile potest (11). Contra vero Spartani, Plutarco (12) tradente, barbam nutriebant, quia ornatum putabant pulcherrimum, ac minime sumptuosum. Philosophi etiam omnes, ac vilioris, tristiorisque vitae homines, barbam alere, melius dicam non curare, ad sequiora usque Apollinaris Sidonii tempora consuevere (13).

17. Quid vero de Christianis dicam, ac praecipue Romanis, de quibus hanc septimus ille Gregorius, et quidem Maximus, sententiam pronunciavit, Romanae Ecclesiae clerum ab ipsis Fidei Christianae primordiis barbae radendae morem (14) tenuisse? Gregorium veneramur, doctrina, sanctitate, robore, animi firmitudine, potestate praecipuum: verum in his, quae facti sunt, hominem novimus; in historia porro errare, decipi, labi humanum est. Itaque audacter censeo primos Christicolas barbam aluisse universos; idque ex plurimis colligo. Primo, quia Christianorum re-

(1) Ibid. tab. 209 ad 211.
(2) Ibid. a tab. 214. ad 227.
(3) Ibid. a tab. 227. ad 229.
(4) Mus. Musell. t. 2. a tab. 229. ad 247.
(5) Ibid. a tab. 247. ad 258.
(6) Ibid. tab. 251.
(7) Ibid. tab. 258. et 259.
(8) Ibib. tom. 1. tab. 11.
(9) Paul. Diac. in hist.
(10) Comment. l. 5.
(11) Ex celebr. Triclinio Lateranensi.
(12) In Apophtegmat. Lacon. 14.
(13) Sidon. l. 4 ep. 2.
(14) S. Greg. VII. epistolar. l. 8. ep. 10.

Digitized by Google

religio nova quaedam philosophorum secta reputabatur; ideoque palliis potius, ac penulis utebantur, quam togis; suamque Paulus penulam Troade rogat afferendam (1). Secundo quia Clementis Alexandrini tempestate in Christiano homine barbam mittere inter crimina quodammodo censebatur; ait enim ipse in Pedagogo nefas esse barbam, capillumve radere (2) *quae est pulchritudo congenita, et ingenita*. Tertio, quia contra Gregorii sententiam a coucilio quarto Carthaginensi barbam radere clero praecipue interdictum: sic enim canone quarto habetur: *clericus nec comam nutriat, nec barbam radat* (3). Quarto tandem Gregorii opinionem labefactant pretiosa illa intimae antiquitatis monumenta, vitris depicta, a Bonarotio, ac Boldetto exhibita (4) in quibus iterum, atque iterum, Petrus, Paulus, caeterique nascentis Ecclesiae patres, fluxa, ac prominenti barba graves apparent; ut proinde Gregorii sententia Latinis non vera, Graecis non grata.

18. Indicanda supersunt, quae religiosum quodammodo tondendi, ac radendi morem fecere. Quaedam jam degustavimus, dum barbam, comamque alicui deo dicatas scripsimus. Hinc *juratam* (5) *barbam* hoc est numini consecratam apud Statium invenimus, et diis (6) libatas florentes genas apud Martialem. Taceo vetustissimum illum Nazareorum ritum Deo comae pascendae, dicandaeque. Illum unice attingam tondendae, aut radendae comae in summo rei, vel publicae, vel privatae discrimine; illumque alterum in mysteriorum initiatione celebratum.

19. Ad primum quod attinet, patres familias filiorum capita devovisse Tertullianus (7) admonuit: *quis enim* (ait ille) *non exinde totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula prosecat pro publica aut privata devotione*? Idem factum pro obtinenda, vel recuperanda corporis valetudine tradit Censorinus (8). Tenaces autem hujus moris usque ad sequiora tempora fuisse Romanos vel illud ostendit, quod in vita Benedicti (9) tradit Anastasius de Romano Imperatore filiorum capillos Vaticanis aris offerente: maximus enim ille Pontifex *una cum clero, et exercitu, suscepit mallones capillorum domini Justiniani, et Heraclii filiorum clementissimi principis*.

20. Idem omnino erat cum pelago ventus irasceretur (10), fatum-

(1) In epist. ad Titum.
(2) Clem. Alexand. Pedagog. c. 3. et 11.
(3) Lab. Concil. Murat. Diss. 23.
(4) Boldett. de Coemeter. tom. 1. lib. 1. pag. 91. a 202.
(5) Stat. Silvar. 2. 1. 53.
(6) Martial. 3. 5.
(7) Tertull. de Anima.
(8) Censorin. de die Natali c. 1.
(9) Anastas. Bibl. in Vita Bened. Papae.
(10) Petron. in Satir. Durantius var. lect. l. 2. c. 9. Chirchman de funerib. l. 2. c. 14.

tumque nautis immineret extremum: capillos enim ponere naufragorum erat ultimum votum, quibus irascentia maris numina ſe placare arbitrabantur. Si ergo voti compotes fierent:

Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso.
Garrula securi narrare pericula nautae (1).

Capillos vero nocte intempesta in navi praecidere scelus erat; nec licebat id, nisi cum mare inhorruisset. Itaque in navi Lycae Tarentini (2) *unus forte ex vectoribus notavit sibi ad lunam tonsorem intempestivo inhaerentem ministerio, execratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus est*. Georgius Herardus, ac Franciscus Hottomanus, duo certe lumina prima Senatus, de hoc ritu locutum fuisse putant gentium Apostolum, cum fluctus irati, nubesque undique adductae diem tenebris obruissent: cum enim Paulus nautas exterritos, atque ad officia trepidantes inspiceret, sic eos est affatus: *nullius vestrum* (4) *capillus de capite peribit*: quasi dixisset eo non esse vectoribus aequor iratum, ut naufragorum imitari ultima vota debuissent. Contra ego, et absque errandi formidine, Apostolum, a gentium ritibus abhorrentem, ad haec sane censeo non respexisse, sed ad ea nostri potius verba Servatoris dicentis *numeratos esse capitis nostri capillos*, ut sic in divini Numinis custodia securi nautae conquiescerent.

21. Satis de his: ad initiationes veniamus. Initiationis cujusque mysterium hoc erat (5) tondendae scilicet comae: viderint ergo immane quantum aberraverint, qui clericorum tonsuram a servili schemate putant acceptam, quasi clerici, ut divino mancipati servitio, ita ad servorum instar detonderentur. Qui ista credunt (et maximi sane scriptores credunt) mirum errant in modum: ista porro non comae tonsurae, sed coronae calvitio sunt unice tribuenda. Si contumeliosam ergo hanc, servilemque decalvationis figuram in clericos manasse dicamus, ut tamquam Deo mancipati haberentur, et contumelias pro ejus nomine facilius sustinerent, non abnuo; si hac de causa detonsos, et abnuo, et contra sententiam dico,

22. Apud plerasque gentes, ipsosque item Romanos, illatam capitis abrasione contumeliam plures tradunt (6). Itaque primis illis nostrae Religionis propagatoribus, contumeliosa haec inter alias poena a Romanis (7) inflicta: *Novacula acuta caput ejus radite*

(1) Juvenal. Satir. 12.
(2) Petron. in Satir.
(3) Georg. Herard. in suis Simbol. ad Petron. Franc. Hotoman. in Dialog. de Barb.
(4) Act. Apost. c. 27. v. 34.
(5) Franc. Hottoman. in Dial. de Barb.
(6) Io. a Woveren in suis Animadvers. ad Petron. p. 441.
(7) In Actis S. Teonillae apud Surium.

Digitized by Google

te ut vel sic erubescat. *Abraso capite decalvetur* (1): ita loquebantur immanes illi Caesares, proconsules, propraetores. Ignominiosa ea igitur capitis deformatio, qua martyres multi, ac primus inter Ecclesiae Pontifices summos Petrus affecti sunt, clericalem coronam peperisse censetur, quae, ut ait alter (2) ex Patribus, infamiam in honorem, illusionem in gloriam converteret. Quam ob rem tanta fuit corona haec veneratione donata, ut per eam adjurare nec (3) Hieronymus erubuerit, neque Augustinus.

23. At non idem dixerim de Tonsura. Haec erat sane initiationis (4) cujusque mysterium, quasi ita detonsus novam vitam ingrederetur, atque in tondentis quamdam veniret adoptionem. Hinc nova nupta, tamquam novam sentiens vitam, ac potestatem, detondebatur (5), ideoque virgines dicebantur intonsae, a quo vocabulo nomen apud Insubres defluxit *di tosa*, *e tosetta*, ut Muratorius (6) observat. Sequioribus usque seculis Romani patricii (7) non aliter adoptabant quam adoptandos detondendo. Dum igitur laicus in sortem Domini esset advocandus, dum coelestis vitae admitteretur initiis, dum in Pontificis sacra, potestatemque veniret, aequum erat profecto, ut eam capitis experiretur tonsuram, quae initiationis cujusque mysteria comitabatur.

24. Haec de radendi, ac tondendi more dixisse satis puto. Quaedam forte superessent analecta: servorum nempe, libertorumque rasura: crinium in morientibus fatalis ablatio, Mercurio aut Proserpinae adscripta: varia comae, aut barbae tondendae ratio subjectis gentibus a victoribus imperata. Sed ne vestra abuti benignitate (melius dicam) ne noctuas videar Athenas mittere, conticesco, plura me dixisse fortasse ratus, quae magis silentii decebat obsequio praeterire. Pridie kalendas Quinctiles 1775.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DIS-

(1) In Actis S.Titianae Bolder. de Coemeter. t. 1. p. 296.
(2) S. Germ. rerum Ecclesiastic. theor. 5. In Biblioth. Patr. t. 8.
(3) In epist. 144. ad Proculam.
(4) Hottoman. loc. cit.
(5) Auson. Idill. 13. 64. Martial. 2. 79. Juvenal. sat. 6. 26.
(6) Dissert. Med. Aev.
(7) Paul. Diac. l. 4. c. 14. Aimon. l. 4. cap. 32. Ab. Uspergensis l. 5. c. 6.

DISSERTATIO IV.

De varia Comae, aut Barbae tondendae ratione victis populis a victoribus impetrata.

Etsi vobis, Collegae optimi, omnia suppetant, quae cònsequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt, alienum tamen non arbitror analecta illa colligere, quae, imperio vestro, a me colligenda duxistis. Cum enim de vario veterum tondendi, aut radendi more, superiori, Gellium redarguens, oratione tractaverim, de illa me comae, aut barbae tondendae ratione acturum dixi, quam subjectis populis victrices imperant nationes, aut in mores inducunt. De his igitur dum paucis disseram, patrio more ramum oleae protendam; vobisque, nunc in tuenda, nunc in evertenda Gellii memoria, utraque acie pugnantibus, eas, caduceatoris jure, faciam inducias, quibus hodie saltem, Gellio sit terra levis, manesque placide conquiescant.

2. Ea quidem impotentium hominum saepe in hac vivendi consuetudine animos incessit superbia, ut subjectis gentibus eam ingerant formidinem, qua animam, et corpus ad servilem quamdam nedum virtutum,sed et vitiorum imitationem forte componant. De Antiocho, post oculum telo ammissum, est traditum eum exilio multasse, qui caecum pinxisset; praemiis vero, qui oculi vitium converso vultu pingens celasset, affecisse; favore demum eos fuisse aulicos prosecutum, qui lumine, vel lippiente, vel obducto, suum studiose regem imitati fuissent. De Aethiopum autem gente id nos edocet Diodorus (1), eos adeo suum esse regem imitatos, ut, si quando aliqua ille corporis parte debilitaretur, omnes sua sponte dolerent; turpe existimantes, rege claudo, aut monoculo, claudos omnes non esse, aut monoculos. Plura de Romanis (quae instituti potius nostri ratio est) exempla narrantur: unum ego Neronis afferam, cujus histrioniae artis, et mimicae mirus ardor, cujus luxuria in omnia pene vitia diffluens, in causa fuere cur aediles, praetores, consules, histrioniam facere cogerentur, cur illustribus matronis prostibula ipsa prostarent, cur demum teterrima vitia, virtutum imitamenta viderentur (2).

(1) Diodor. Sicul. l. 3. p. 102.

(2) Tacit. et Sveton. in Neron.

3. At in vestium usu, ac barbae comaeque tonsura, mos hic profecto ad nos usque constantius manavit. Quorum enim arma praevaluere, eorum et vestis, et lingua, et tonsura caeteris quoque gentibus vivendi fuit canon; ut qui victorum veste, et lingua, et tonsura uterentur, se beatissimos reputarent. Duo vix effluxere secula, vigetque adhuc ejus temporis memoria, quo Carolus Romanorum imperator, filiusque rex Philippus varios imperio populos rexerunt. Italia, olim gentium fere omnium domina, deinde serva ad quarti aevum usque Philippi, et barba, et coma, et veste, et eloquio Hispanicum avide morem secuta est (1). Ad Gallos hinc ab Hispanis fortuna deflexit; statimque rasa penitus barba, caesaries corymbio commutata, vestes Gallorum receptae, dictum non elegans, nisi Arari advectum: majori ne cum Italorum injuria, an ignominia, non satis facile constat.

4. De hac igitur re pauca disserens, illud demonstrare conabor, acceptum vestium, linguae, ac tonsurae morem, singulare erga illos obsequii pignus ostendere, a quibus accipiebantur; ac non levius praebuisse illorum dominii, aut principatus indicium. Hinc coloniis quibusdam, tradente (2) Livio, concessum, ut Romana et veste, et lingua uterentur. Quare non injuria tamquam imminutae majestatis reum, Metellus Siciliae praetor Marcum Tullium arguens dixit, *indignum facinus esse, quod ipse in Siracusarum senatu Graeca verba fecisset: quod quidem apud Graecos graece locutus esset; id fieri nullo modo posse* (3). Optimo item jure Germanicum Tiberius increpuit, quod Alexandriae Graecum habitum (4) usurpasset. Hinc Antoninum Septimii Caesaris filium, a Germanica veste Caracallam nuncupatum, senatui legimus invisum, quod ita Germanos amaverit, ut, quo eorum usque comam rectius imitaretur, flavicomum capiti corymbion aptasset (5). Hinc e contrario Claudius Pamphiliae virum Latinae linguae ignarum civitate (6) privavit; ac Tiberius centurionem graece in senatu loquentem tacere (7) jussit. Haec autem, Collegae optimi, ea duci ratione non ignoratis, qua, ut ait Valerius (8) Maximus, Romanorum honos per omnes gentes diffunderetur venerabilior; quippe qui nulla in re pallio togam subjici debere arbitrarentur.

5. Romanorum imperio a barbaris afflicto, atque ad exitium

(1) P. Bettinelli nella Prefazione alle sue Tragedie p. 13.
(2) T. Liv. 40. 42.
(3) M. Tull. Cic. in Verrem. l. 4. c. 66.
(4) Sveton. in Tib. c. 52.
(5) Dio Cass. l. 72. et in exceptis Valesianis.
(6) Dio Cass. l. 60.
(7) Ibid. 57.
(8) Valer. Max. II. 2. 2.

tium pene vergente, rempublicam a Zenone Caesare Theodoricus beneficiario quodam, ut ita dicam, jure regendam suscepit. Non igitur mirum, si Romana et veste, et tonsura usus fuerit, ut in ejus nummis intuemur; si eadem dignitatum Romanarum nomina retinuerit, si leges, si edicta suis usque Gothis Romana lingua dictaverit, ut Cassiodorus (1) indigitat. Contra vero Longobardis, quia nullo alio, quam belli jure, rerum in Italia potiti sunt, Romanam placuit evertere vestem, atque tonsuram: cervicem quippe ipsi, tradente Paulo (2) Diacono, usque ad occipitium radentes nudabant, capillos a facie usque ad os dimissos, fluxosque habentes, quos in utramque partem in frontis discrimina dividebant: vestimenta vero eis erant laxa, et linea, ornata institis latioribus vario colore contextis. Bellum hinc perpetuum, una et mortiferum, inter Romanos, ac Longobardos exarsit: qui ex his quandoque fidelitatem sancto Petro juravere (verba refero (3) Anastasii) *more Romanorum fuere tonsurati*: qui ex illis ad Longobardos transierunt, et in adversum ire morem debuere: *Liutprandus enim* (sunt verba vitae Gregorii tertii) *multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit, et vestivit* (4). En igitur, ut puto, perspicuum in subeunda vestis, ac tonsurae varietate, varii principatus indicium, atque argumentum.

6. Tandem a Longobardis ad Francos devenit imperium; sed audax omnia perpeti potius, quam Caroli jugum, Beneventanorum princeps Grimoaldus, cum Francis varia belli fortuna congressus est; donec majori potentiae cessit, nonnulla tamen dignitate retenta, ac beneficiario imperio super Beneventanos conservato; ea tamen lege, ut ab Anonimo Salernitano (5) habemus, qua Longobardorum mentum tonderi faceret, ut Francos imitarentur, utque ex hoc tonsurae imperatae more quae victrix, quae domina gens esset, quam commode agnosci posset.

7. Exemplum aliud hujusce rei praeclarissimum in Carolino codice Hadrianus exhibet primus in sua (6) ad Magnum Carolum epistola de Arrigisio duce, Graecorum partibus favente: libeat hic ipsamet verba tanti referre Pontificis: *Arrigisus a Graeco imperatore petiit auxilium, et honorem patriciatus una cum ducato Neapolitano sub integritate: pro qua re pollicitus est, tam in tonsura, quam in vestibus usu Graecorum perfrui sub ejusdem Imperatoris ditione. Haec au-*

(1) Cassiodor. Variar.
(2) Paul. Diac. l. 4. c. 23. de Gest. Long.
(3) Anastas. Bibliothec. in Vit. Hadriani papae primi.
(4) Idem in Vita Gregorii III.
(5) Anonim. Salern. c. 4.
(6) In epist. 58. codicis Carolini.

diens autem Imperator, emisit illi suos legatos ferentes secum vestes auro textas, et pectinem, et forcipes sicuti illi praedictus Arrichisus indui, et tonderi pollicitus est. Quanti ergo veteres solemnem hanc fecerint tonsurae caeremoniam ad praebendum principatus indicium satis liquere jam puto.

8. A Carolo Magno Pontificis maximi res amplificatae. Cum ergo Francorum Romae praevaleret imperium, Graecorum in tonsura proinde mores Pontificum a Romanis absimiles. Hinc sibi notat Agnellus, Ravennates, quippe qui Graecum, non Romanum sequerentur morem, incessisse barbatos (1) et Goldastus ipse in Caroli Magni vita (2) cunctas fere vetustissimas monachorum immagines testatur se inspexisse barbatas; quin immo Sidonius ipse Galliae clericos (Galliis nondum Francorum vi, ac virtute subjugatis) Galliae clericos affirmat barbatos (3).

9. Enim vero Gregorius ille septimus, quem non modo magnum, sed maximum aequo sane jure appellamus, ut ad debitam erga Latinae, atque ideo universae Ecclesiae supremum Pontificem obedientiam omnes gentes excitaret, in Graecis barbam sacerdotibus improbavit (4); hincque dissidium Graecos inter Latinosque excitatum, licet Gregorius Romanae Ecclesiae clerum (ut superiori oratione adnotavimus) ab ipsis Fidei Christianae primordiis barbae radendae morem tenuiſſe pronunciaverit. Quamobrem etſi rebus addicti ſecularibus barbam omnes enutrirent, eam tamen ſtatim ponebant, cum sacris initiarentur: hinc Petrus Damianus haec (5) ait: *Ecclesiarum rectores tanto vertiginis jactantur impulsu, ut eos a secularibus barbirasium quidem dividat, sed actio non discernat*: et de Dominico adhuc laico, quem Veneti episcopum postularunt, ait Dandulus (6) invitum, abscissa sibi barba, episcopatum cepiſſe. Tandem de Gregorio ipſomet septimo ejus (7) vita clarissimum exhibet testimonium. Ipſum nempe pontificem sexaginta beati Petri manſionarios exilio multaſſe: *Erant enim* (refero ipſa verba) *cives Romani uxorati, seu concubinarii barba rasi, & mitrati, asserentes se cardinales presbyteros esse*.

10. Gregorium sequuti, qui post ipsum Romanam cathedram tenuere, nedum barbae rasuram, sed etiam linguam, qua Latina Ecclesia usa semper fuerat, aeternum retinuendam esse censuerunt. Cum enim sub Julio secundo laxiores Romanorum mores

(1) Agnell. in Vita archiepisc. Damiani.
(2) Goldast. in Vit. Caroli Magni.
(3) Sidon. Apollinar. l. 4. epist. 24.
(4) S. Gregor. VII. epistolar. l. 8. ep. 10.
(5) S. Petr. Dam.
(6) Andr. Dand. in Cronic.
(7) Ex Vita Greg. VII.

res in luxuriam vergerent, cum nemo ex clericis sibi placeret, nemo sibi bellus videretur, cui non prominens, ac fluxa barba; hinc sinodus Lateranensis, hinc septimus Clemens, hinc Paulus tertius (licet Pierius Valerianus eruditam pro sacerdotum barbis orationem scripserit) perpetua clericalem barbam abrasione damnarunt. Quo vero ad linguam pertinet, quot rixas, quot dissidia, quot pene dixerim praelia nostrates inter, et novatores, ista non peperit, quam hi a sacrificiis, a precibus expungendam expostulabant? Verum Tridentini patres, ut aeternum Romanae Ecclesiae super caeteras principatum ostenderent, conservarentque, Latinam linguam in sacrificiis, ac precibus, eousque duxere servandam.

Dum pater Aeneas Capitolii immobile saxum
Accolet (1)

11. Haec sunt, Collegae optimi, analecta illa, quae imperio vestro colligenda suscepi. Recte ne collegerim, senserimve, doctiorum, immo vestrum judicium esto, quibus me libentissime, meaque haec universa subjicio. Idibus Maii 1776.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO V.

De Flagris, et Fustibus.

Duo legenti mihi Amphitruonis fabulam Plauti nostri carmina occurrunt, Sodales, quae vobis hodierna die proferre injucundum non arbitror: ait enim Sosiae Mercurius (2):

Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis
Quo nam modo?

inquit Sosia: reponit vero Mercurius:

Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.

Cur superbum facturus fuisset Sosiam Mercurius, si fustem sumpserit, a nemine dictum inveni. Tacent enim hic Taubmannus in adversariis, Parens in Electis, Gruterus in Acidaliis; caeterique, quos viderim, haerent. Itaque non abs re, Sodales, me facturum puto, si qualiscumque ea sit, meam in hunc locum sententiam proferam.

2. Qui Plautinis numeris delectantur, et salibus, optime callent plurimos Marcum Accium in verbis jocos fecisse; ut proinde ve-

(1) Virgil. Æneid.

(2) Amphitr. Act. 1. scen. 1. v. 201.

Venusinus ille noster (1) Plautinos, et numeros, et sales, nimium patienter, ne dicam stulte, laudatos asserere non dubitaverit. Si ergo hic Accium nostrum (ut olim putaveram) verborum lusum fecisse dicamus, nil aliud aedepol hoc SUPERBUM FACERE SUMPTIS FUSTIBUS sibi vult, quam sublimem actum Sosiam verberare; hoc enim modo, dum Sosia caeteris capite supereminet verberandus, lepido, ac lusorio quodam modo superbus efficitur.

3. Servos autem (cum bubulis forent coriis, aut virgis ulmeis conterendi) sublimes fuisse raptos, ita ut pensilis uvae figuram redderent, pluribus in locis Accius idem testatur: si quidem in Milite glorioso haec habeat (2);

Ducite istum: si non sequitur, rapite sublimem foras:
Facite inter terram, atque coelum, ut medius sit: discindite.

et in Poenulo (3)

Siquidem tu es mecum futurus pro uva pensilis:

et in hoc eodem Amphitruone (4) idem ipse ait Sosia:

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem:

et in Menechmis (5)

At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies:

et in Mostellaria (6);

Verberibus caedere, lutum, pendens:

et tandem in Casina (7):

Nulla causa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.

4. Enim vero Plautinum dictum Attico magis sale conspersum dixerim, si jocum in his verbis: *auferere, non abibis* ponamus; verbum *auferere* est aequivocum; saudapila enim aeque, ac exaphoro, auferri quis potest. Si servum igitur Sosiam, ad mortem usque diverberatum, non suis certe abiturum pedibus, sed auferendum alienis, intelligas (ut proprie innuit Mercurius) non equidem Sosia superbus fit. Dum ergo, *auferere*, Sosiae Mercurius infit, ludit in verbo, superbumque facturum ait servum statim ac non suis abiturum pedibus, sed alienis quasi exaphoro auferendum, vehendumque pollicitetur.

5. Cum has tamen Plautini hujus joci causas ariolarer, non satis mihi placebam; quia inexplicata illa supererat Plauti particula, in qua omnem proprii lusus videtur Plautus posuisse rationem,

(1) Horat. in epist. ad Pis.
(2) Act. 5. scen. 1. v. 1., et 2.
(3) Act. 1. scen. 2. v. 99.
(4) Act. 1. scen. 1. v. 123.
(5) Act. 5. scen. 5. vers. 49.
(6) Most. act. 5. scen. ult. v. 45.
(7) Act. 5. scen. 4. v. 24.

nem, nempe, *si fustem sumpsero*. Age vero; cur Sosiam superbum ait Mercurius, si fustem sumpserit, evasurum? Ego in eam sane sententiam venio, ut eo superbum credam evasurum Sosiam, quo Mercurius ait, se *non flagrum, sed fustem* esse sumpturum: meam autem sententiam sequentia nedum argumenta probare, verum etiam demonstrare videntur.

6. Flagris quidem servi, ingenui fustibus plectebantur. En igitur superbus effectus Sosia, si sumpta fuste Mercurius, tamquam in ingenuum, animadvertat in Sosiam. Ita enim ait Calistratus (1): *non omnes fustibus coedi solent, sed hi dumtaxat qui liberi sunt.* Flagra igitur, sive flagella, propria servorum; ita ajente ad rem Macro juris consulto (2); *in servorum persona ita observatur, ut exemplo umiliorum puniantur: et ex quibus causis liber fustibus coeditur, ex his servus flagellis coedi, et domino reddi jubetur:* quod quidem Ermogenianus his comprobat (3) verbis: *servi flagellis caesi dominis restituuntur, liberi vero fustibus subjiciuntur:* optime autem omnium Paulus in haec disserit (4) verba: *liberos quidem fustibus caesos in triennium relegabis, aut, si sordidiores erunt, in opus publicum ejusdem temporis dabis: servos, flagellis caesos, in metallum damnabis. Si non magnae pecuniae res fuerint, liberos fustibus, servos flagellis caesos dimittere poteris.*

7. Hinc igitur colligo, duplici Mercurium ratione, ea cum Sosia verba usurpasse; facere, sumptis fustibus, superbum volebat Sosiam, et quia Deo non par erat flagrum (servile quidem tormentum) manibus arripere, et quia sic nobiliori ingenuorum, quin immo etiam militum, poena, non sane servorum, Sosiam illum volebat plectere, quippe quem perbelle pugnatam pugnam, unde adveniebat, describentem Mercurius audierat.

8. Sicuti enim Sosia, non imperitum, sed strenuum se omnino militem, in ea pugnae descriptione probaverat, ita non illepida sane mea mihi animadversio videtur, si meminisse nos libeat in fustigatione non carnificem, neque lictores fuisse poenae administros. At qui tribunus signum fustigationis dabat, reum leviter tangens, quem postea milites fustibus conficiebant: quorum testis nobis adest Polibius, qui haec scripsit (2) *fustem capiens tribunus condemnatum leviter tangit, et delibat; quo facto omnes, qui in castris sunt, fustibus occidunt.*

9. No-

(1) Leg. 28. §. 2. ff. de Poen.
(2) Leg. 10. ff. de Poen.
(3) Leg. final. ff. de injur. et famos. libel.
(4) Leg. 4. ff. de inced. Ruin. naufr. §. 1.
(5) Polib. histor. l. 6.

9. Nostris etiam temporibus nobiliorem ajunt mortem, qua noxii milites ignitis globulis pereunt, quam qui a carnifice rapiuntur in furcas! Hinc Severus ille Alexander, ut reum quemdam servili poena damnatum, superbum quodammodo efficeret, crucem caeteris altiorem, minioque illinendam esse decrevit, si Lampridio fidem praebeamus (1). Hinc, et nostris acceptum moribus, ut nobiles ultore gladio, plebeii restibus conficiantnr.

10. Flagrorum igitur poena nedum poena fustium probrosior, verum etiam acerbior. Probrosiorem fuisse, vel id ostendit, quod veteres pene omnes indigitant, flagra nempe, seu flagella, verbera appellari servilia. Calistratus siquidem in libro sexto de cognitionibus ita loquitur: *in metallum damnatis libertas adimitur, tam etiam verberibus servilibus coercentur* (2).

11. Acerbiorem vero fuisse vel ex eo dignosci facile valet, quo flagrorum poena vera dicitur castigatio, fustium autem ita levis, ut potius admonitio dicenda fuerit, Calistrato, et Ulpiano (3) ita ajentibus: *poena aut vitam adimunt, aut servitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium continent, aut corporis coercitionem, veluti fustium ADMONITIO, flagellorum CASTIGATIO*: en immane quantum fustium a flagrorum poena differret.

12. Hinc flagris caesi quia membratim fere concisi, et quasi ad mortem acti, crucibus erant adfixi: de quibus haec habet Livius (4): *multi occisi, alii capti, alii verberati crucibus adfixi*: et Joseph Flavius de suae gentis excidio verba faciens haec ait: *flagellati crucifigebantur*: (5) ac denique Macrobius ita loquitur (6): *diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium egerat*.

13. Superbus igitur jure, et quidem maximo, Sosia fit noster, fustem sumente Mercurio, cum evaserit flagra, quae quidem et acerba, et servo digna, et vilissimo sanguini destinata, carnemque, quasi laridum coqui cultro subjectum concidentia. Servo inquam digna, et vilissimis destinata; ita opportune ajente Petronio: *tentantque funibus vilissimo sanguine tutelam navis placare* (7): acerba vero, ut in eadem ipsamet scena noster testatur Sosia dum ait (8).

Quid faciam nunc, si tres viri me in carcerem compegerint?
Inde, quasi e promptuaria cella, depromar ad flagrum.

14. Equidem ex hisce duobus unice versibus quam acerba, quam

(1) Lamprid. in Vit. Alex. Sev.
(2) Leg. 12. ff. de Jure Fisci.
(3) Leg. 6. et 7. ff. de Poenis.
(4) Liv. hist. l. 34.
(5) Flav. Jos. in Excid. v. 32.
(6) Saturnal. l. 1. v. 10.
(7) Petron. in Sat.
(8) Plaut. Amphitr. act. 1. sc. 1. v. 3.

quam gravis, quam servo tantum homine digna flagrorum esset poena satis recte conjicio. Somniant quippe meo quidem sensu Nizolius, atque Ambrosius (1) dum promptuariam cellam carcerem fuisse arbitrantur: eam ego puto fuisse cellam, quam nos Itali, DISPENSA, vocamus. Et re quidem vera promptuarium sumit Cato (2) pro cella, in qua res ad victum necessariae adservantur, ut statim promi possint. Sensus itaque Sosiae is est, ut acerbam flagrorum exprimat poenam; atque ita mihi secum ipse videtur colloqui. *Quid, si ego, quasi caro salita, vel bubula, quae a promptuaria cella ad culinam deducta, variis caeditur modis, atque discinditur, utque tenerior fiat, varie contunditur, ac verberatur, depromar ipse ad flagrum, ad verbera?*

15. Perbelle sensus hic illustratur ex Tertulliani (3) verbis, qui haec ait: *cur cellarum promarum potius vocabulo usus est, et non alicujus loci receptorii, nisi quia in cellis promis caro salita, et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore?* Timebat igitur Sosia poenam sane acerbissimam; ne scilicet(uti è promptuaria cella bubulae frustum, aut laridum, aut petasunculum coquus contundit, sive discerpit) ita ipse contundendus depromeretur ad flagrum.

16. Quae cum ita sint quisnam quaeso non videt quanta cum ratione Mercurius merito Sosiam superbum se facturum dixerit, si ab acerba aeque, ac probrosa flagrorum poena abstinuerit, si Sosiam ictibus, homine ingenuo atque etiam milite non indignis affecerit, si denique fustem sumpserit. Nonis Juniis 1776.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO VI.

De nocturnis Deambulonibus.

Locum Plauti nostri non modo suboscurum, verum etiam tot claris in Plautum scriptoribus inaccessum, pro viribus, Sodales, illustrare conabor. Sic in Amphitruone Mercurius Sosiam alloquitur (4):

Nunc profecto vapula ob mendacium.

Reponit Sosia.

Non aedepol volo profecto:

 sub-

(1) Nizol. et Calepin. in Lex. Verbo. Cella Promptuaria.
(2) Cato de re rustica cap. 11.
(3) Tertullian. de Resurrect. carn. c. 27.
(4) Act. 1. scen. 1. v. 214.

subdit vero Mercurius:

At pol profecto ingratiis:

Hoc quidem profecto certum est, non arbitrarium.

2. Si obvium, minusque conditum amemus sensum, quaterni hi *profecto* adverbialiter sunt sumendi; et sic tertius ille *profecto ingratiis* hunc reddet sensum, *vapula profecto ingratiis*: hoc est: vapula, velis, nolis: vapula, te etiam invito, et non ita arbitrante; hoc enim profecto certum est non arbitrarium, nil scilicet a tuo pendet arbitrio, ut verbera effugias. Ita omnes tenuerunt, ac tenent.

3. At mea mihi rectissima, licet nova, interpretatio videtur, si tertium illud *profecto* non adverbialiter, sed pro verbo adsumamus; hic enim tunc aderit perlepidus sensus: *vapula ob mendacium*, ait Mercurius: *at nolo profecto*, infit Sosia; nec enim leviusculum, aut nullum illud mendacium fuste plectendum. Atqui *profecto ingratiis*, hoc est; *huc ingratiis advento*, fustes debentur, reponit jure Mercurius; verbera quippe erant merito impingenda *profecto ingratiis*, advento scilicet legibus ipsis adversis, ac reluctantibus: hoc autem sensu retento, alter ille maxime fulget versus.

Hoc quidem profecto certum est, non arbitrarium.

Vapulatio enim illa, quam *contra legem profecto*, *adventoque Sosiae* est minatus Mercurius, non a verberantis prodit arbitrio, sed a lege ipsa statuitur, ut proinde *certa* sit, non *arbitraria*; atque ea certe majori cum ratione, qua ait paulo ante Mercurius, se unum ex militibus esse vigilibus, quos Creon rex nocturnos in civitate locaverat (1):

Rex Creon vigiles nocturnos singulos semper locat.

4. At dicet fortasse quispiam: unde hanc sumis audacter legem? A variis sane eam colligo vetustatis monumentis, ab Accio ipso vel nostro, ab ipsismet Sosiae verbis in hacmet scena cum Mercurio prolatis. Legem adfuisse populi nedum Romani, sed gentium ferme omnium apud cultioris notae homines satis constat, qua cautum erat, ne cui noctis conticinio per urbem iter facere liceret: audacissimi quippe juvenes, nocturnique grassatores vias obsidebant: *sed heus tu*, ait ad rem (2) Apulejus, *cave regrediare a coena maturius, nam vesana factio nobilissimorum juvenum pacem publicam infecit; et passim trucidatos per medias plateas videbis jacere*. Quid Cajus, quid Nero noctis facerent a Tacito (3), ac Svetonio quisque valet

(1) Amphitr. act. 1. scen. 1. v. 195.
(2) L. Apulejus Milesior. 2.
(3) Tacit. in Annal. Svet. in Calig. et in Neron.

let accipere: optime vero hunc tangit morem Plautus in Trinummo (1) ubi Lysiteles adolescens haec ait:

Isthaec ego mihi semper habui aetati integumentum meae,
Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum,
Ne noctu irem obambulatum.

Comprimenda ergo erat legibus nocturnarum deambulationum audacia, atque aequius erat hanc sane legem servari turbulentissimis illis belli Punici secundi temporibus, quibus suas Accius noster exarabat comoedias.

4. Verum in hac met ipsa, de qua agimus, Amphitruonis scena Plautus perlepide Plautum explicat: ita enim in ipsomet sui sermonis exordio (2) loquitur Sosia:

Qui me alter est audacior homo, aut confidentior?
Juventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si tres viri me in carcerem compegerint?
Inde quasi a promptuaria cella depromar ad flagrum:
Nec causam mihi dicere liceat, neque in hero quicquam auxilii fiat?
Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent: ita
Quasi incudem me miserum homines octo validi caedant: ita
Peregre adveniens hospitio publicitus accipiar.
Haec heri immodestia coegit me, qui hoc
Noctis a portu ingratiis excitavit.
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?

Quorsum vero tantus flagellorum timor, quorsum tam grandis trium virorum metus, quod hoc noctis obambulet Sosia, nisi haec noctis ambulatio, nisi nocturna haec sane profectio *fieret ingratiis*, legibus scilicet adversis, ac reluctantibus? *Certa* igitur Sosiae, *ingratiis profecto adventoque non arbitraria* minatur verbera Majae filius:

. . . . *At pol profecto ingratiis:*
Hoc quidem profecto certum est, non arbitrarium (3):

quae sane Mercurii minae, atque indicta verbera hieme gallica frigidiora fuissent, nisi verbera illa noctu obambulantibus lege essent infligenda.

6. Hoc idem clarius ostendunt triumviri illi capitales, quos merito timet Sosia. Munus enim eorum erat cognoscere de servorum admissis, aut hujusmodi viliorum capitum ad columnam Maeniam, ut ad Taciti nostri annales sibi (4) notavit Lipsius, quia immo et idem noster in Aulularia testatur Plautus, ubi Euclio senex adversus coquum haec ait (5). G 2 *Evcl.*

(1) Act. 2. scen. 2. v. 32.
(2) Act. 1. scen. 1. in princip.
(3) Plaut. loc. cit.
(4) Just. Lips. ad Tacit. Annal. p. 141.
(5) Plaut. in Aulular. act. 3. sc. 2.

Evcl. redi, quo fugis nunc? Tene, tene
Congr. quid stolide clamas?
Evcl. quia ad tres viros jam ego deferam tuum nomen.

Hisque sane triumviris validi illi erant octo lictores, quos metuit Sosia, ne de suo facerent corpore incudinem, ut tradit clarissimus Hottomanus (1).

7. Si ergo ad flagrum, et verbera, quasi è promptuaria cella, per triumviros capitales, ex quo noctis ambulet, Sosia hic noster depromi timet: si ob haec sibi servo causam dicere non licet, nec ab hero absente auxilium adest: si dignum se tandem fatetur de omnibus dijudicandum, quem octo validi homines caedant, ex quo heri immodestia coegit, ut ingratiis, adversisque legibus hoc noctis tempore profectus foret, optimo sane jure ait Mercurius, flagrum Sosiae, si non ob leviusculum mendacium, *at pol ingratiis profecto* esse infligendum, et quidem *non arbitrarium*, nec a verberantis *arbitrio*, sed *certum*, ac *lege* indictum. Nulla igitur majori cum ratione dicere Mercurius Sosiae debuerat (2):

. . . . *At pol profecto ingratiis*:
Hoc quidem profecto certum est, non arbitrarium.

Scilicet: haec certa vapulatio ita certa est, ita certe in nocturnum deambulonem indicta, ut a lege, non ab hominis arbitrio descendat. Sic ego Plautum intelligo, sic recte locutum ajo:

Ut contra si quis sentiat, nihil sentiat.

8. Plurima, Sodales optimi, futuris exponenda vobis orationibus superessent, eam Plauto nostro lucem ferentia, quam a Grutero, Taubmanno, ac Pareo nullam habuere, vicennali per me studio, ac labore confecta. At sermone plus quam Milesio usus fueram, quia nedum latina simplicitate, verum etiam Fescennina quandoque loqui dicacitate Plauto visum est nostro. Quae igitur olim clarissimos illos in literaria republica viros latuisse putaveram, potuisse quidem, sed digna tenebris, ac silentio habita esse, meliori de hinc judicio sum arbitratus. Cum ea igitur non essent:

. , . . . *quae legat ipsa Licoris*:

ignibus omnino censui (si forte cum aliquo literarum, nullo cum morum sane discrimine) consignanda. Pridie kalend. Quinctiles 1776.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

FINIS LIBRI PRIMI.

UR-

(1) Francisc. Hottoman. de Magist. Rom. (2) Plaut. loc. cit.

URBANARUM QUAESTIONUM

LIBER SECUNDUS

DISSERTATIO I.

In A. Gellij cap. 3. lib. 10.

De Balneis.

DIU mihi, multumque cogitanti, cur vester hucusque Gellius modo in doctorum hominum sinu, et complexu sit, modo sub aliorum debeat ferula pallere magistra, ea tandem animo insedit opinio, non tam id a Gelliani operis varietate, quam a diverso censorum ingenio prodire. Quidam enim nimis acres illum ita floccifaciunt, ut apud hos in Gellianis paginis ne carmen quidem sane coloris eniteat, sed cuncta jaceant veluti pestilenti quodam sidere adflata. Quidam vero longe, quam par sit, indulgentiores ita in coelum extollunt, ut iis omnia Gellii dicta sesamo quasi, ac papavere sparsa videantur. Mea quidem sententia neutri, atque utrique peccant. Qui Gellianum namque sermonem ita probat, ut in ejus eloquentia nutriatur, cibumque capiat, is certe non minus sapit, quam ii bene oleant, qui in culina habitant. Qui vero morum hiſtoriam, ac disciplinam a Gellio tra-

di-

Digitized by Google

ditam omnino contemnit, publici saporis judicio caret. Qui tandem Gellianum opus sua dignum laude, sua dignum venia arbitratur,

Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat aequo (1).

Idem ego cum his sentio; neque injucundam a Gellio traditam morum disciplinam existimo. Quam ob rem libri decimi tertium caput pervolvens, quod per me hodierna exponendum oratione duxistis, pauca quaedam de (2) balneis attingam; vobisque Collegis optimis quippe quibus omnia facile suppetunt, quae homines consequi ingenio, aut sapientia valeant, dabo imperatam quidem, sed dabo paginam breviorem.

2. De balneis igitur Gellius agens virilibus, haec habet verba notatu sane dignissima (3): *nuper Theanum Sidicinum consul venit: uxorem dixit in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a Manlio datum est negotium, uti balneis exigerentur qui lavabantur*. Non levem profecto nec tralaticiam verba haec fecere quaestionem, utrum nempe communia cum viris foeminae balnea adirent, an potius peculiaribus, sejunctisque a virilibus, uterentur.

3. Cultioris notae vir Samuel Pitiscus (4) ex hiscemet Gellii verbis communia omnino viris, ac foeminis balnea fuisse putat: quae sane egregii viri sententia fortasse probari posset, si a quaestore Sidicino, venerationis causa erga foeminam consularem masculos balneis exactos esse dicamus; tunc enim reliquas, quibus haec ratio non aptaretur, foeminas promiscuis usas fuisse balneis asserere forte non dubitarem. Verum mea quidem sententia a recto Pitiscus itinere aberrat longissime. Gellius quippe noster balnea tantummodo, non *virilia balnea* dixisset; atqui foeminam consularem in balneis dixit lavari *velle virilibus*: cum ergo *virilia* dixerit necesse omnino est, ut credamus, apud Theanum Sidicinum vel unos lavasse homines, vel foemineis sejunctim balneis usas esse mulieres; consularem vero foeminam vel ob commodiorem virilium thermarum conditionem, vel ob singularem quamdam praerogativam, sive superbiam, balneis usam esse virilibus. Virilia igitur balnea apud Theanum Sidicinum (bona Pitisci cum venia) foeminis interdicta.

4. At Romae quid facti? Quid juris fuit? Num in balneis foeminae viris admixtae? Quidam sane sententiam hanc ita reputant alogam, ut nec inter res serias numerandam arbitrentur. Quibus certe favet Gellius; non enim quaestori Sidicino consul mascu-

(1) Horat. epist. 1.
(2) Auli Gellii noct. Attic. c. 3. l. 10.
(3) Aul. Gell. ibid.
(4) Samuel Pitisc. in suo Lexic. tom. 1. Verbo „ Balnea.

culorum a balneis remotionem imperasset, si in Romanis balneis foeminae a virili non abhorruissent aspectu.

5. His favet et Varro, qui haec habet: *ibi consedit, ubi bina essent conjuncta aedificia, unum, ubi viri; alterum, ubi mulieres lavarentur* (1): quo nil certe clarius, ut foeminas a masculis omnino sejunctas arbitrentur.

6. Mirum autem in modum his omnibus senior adstipulari videtur Plinius, qui Flaviano aevo, cum pene ire cuncta in licentiam inciperent, foeminas Romanas foemineis asserit (2) usas esse balneis. Ita enim ait: *videret haec Fabricius, et stratas argento mulierum balneas*, et alio loco sic loquitur: *argento foeminae lavantur, nisi argentea solia fastidiant* (3).

7. Tandem ea omnium optima ratio, quae a pudicitia, et honestate promanat, acceptiorem hanc facit sententiam: ab ea inquam pudicitia, quam adeo ait Tullius Romanis placuisse matronis, ac legibus, ut commixtionem hanc hominum in balneis, foeminarumque, patria referat lege interdictam (4). Vix enim datur intelligi Romanos rerum dominos ita fuiſſe morum expertes, ut casta propriarum corpora filiarum, uxorumque nulla interjecta nec veste, nec nebula, oculis intuenda procacibus masculae juventutis exponerent.

8. Ut ut autem se haec habeant, neque his ego, nec Pitisco facile assentior: non huic certe; quia stante republica, Gellius ac Varro, rem acu tangunt; cum foeminas a virilibus balneis sejunctas indigitent, cumque impudica illa commixtio a prisca Quiritium gravitate nimium abhorreat: non his vero; quia Romanis deinde moribus in luxuriam vergentibus, balnea masculis, ac foeminis, ajo fuisse omnino communia.

9. Enim vero a fine Actiaci belli ad Vespasianum usque Caesarem fuisse pene cuncta nedum licentia, sed et nefaria referta libidine plures notant, nosque ipsi ubi coenaticas leges recensuimus, latius ostendimus. Id unum hodie repetam, quod Neroniani scriptor temporis narrat (5) Tacitus: *exoleti per aetates, et scientiam libidinum componebantur: crepidinibus stagni lupanaria adstabant ILLUSTRIBUS FOEMINIS completa, et contra scorta visebantur nudis corporibus: jam gestus, motusque obsceni*. Age vero, si haec in Agrippae stagno, in publico, inquam, convivio insolens, immanis ac pene incredibilis li-

(1) Varro de ling. Latin. S. 42.
(2) Plin. Sen. l. 33. c. 2.
(3) Ibid. l. 33. c. 12.
(4) M. Tull. Cic. de Offic. l. 3.
(5) Corn. Tacit. Annal. l. 15.

licentia ac libido *in illustribus foeminis* visa fuit, cur promiscuam foeminarum, masculorumque lavationem tunc temporis insolentiae arguemur?

10. Et re quidem vera si Spartiano (1) fidem habeamus, Caesarum omnium primus Hadrianus lavacra pro sexibus separavit: quod certe evidentius constabit, si caesariana tempora paulo praecedentia, atque Hadriano proximiora libeat percurrere. Domitianus enim ille Caesar, qui pueros castrari vetuit, qui religionis, ac pudicitiae asservator videri voluit, cujus aevo, ut ei sublanditur vates (2):

Nec spado, nec moechus erit,

virorum hanc tamen lavantium, foeminarumque mixturam minime censuit submovendam. Itaque cum populo lavabant foeminae, nudaeque prostabant: cujus sane vulgati moris egregium coaetaneus Martialis exhibet testimonium. At prius ignoscatis oro, Collegae optimi, si huic rei comprobandae iis Martialis versibus uti debeam, quibus ipsum Romana simplicitate loquentem audiatis oportet. Ita enim ille Laufellam alloquitur (3).

Vis . . . . , nec vis mecum, Laufella, lavari.
Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosae pendent a pectore mammae,
Aut sulcos uteri prodere nuda times:
Sed nihil est horum: credo pulcherrima nuda es:
Si verum est: vitium pejus habes. Fatua es:

quare fatua, Collegae optimi, si lavatio haec non communis? Si foeminae cum populo non lavassent?

11. Verum cum populo lavasse idem vates alio loco tradit apertius, dum his Coeliam insequitur versibus (4):

Theca tectus aenea lavatur
Tecum, Coelia, servus: ut quid? oro,
Non sit cum citharoedus, aut choraules?
Non vis ut puto . . . . videre.
Quare cum populo lavaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones?

His certe versibus huic rei penitus demonstrandae nil clarius in medium proferre auserit quispiam. Si enim Coeliam vates illudit, quippe quae populum, omnesque masculos spadones habuerit, ipsos, ea parte corporis prostante, per Coeliam inspectos oportuit, qua non sane spadones fuisse vates advertit. 12.Tan-

(1) Spartian. in Hadrian. c. 19.
(2) Martial. l. 6. ep. 2.
(3) Ibid. l. 3. epigr. 72.
(4) Martial. l. 11. ep. 76.

12. Tandem balnea haec viris, foeminisque fuisse communia, alio fatetur loco poeta idem noster, dum ita Gallam alloquitur (1):

Cum faciem laudo, cum miror crura, manusque,
Dicere, Galla, soles: nuda placebo magis;
Et semper vitas COMMVNIA BALNEA NOBIS:
Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

Et communia igitur fuisse balnea, et nudas foeminas nudis cum viris una prostasse, nemo non videt: quod et melius, si fieri melius potest, alio tandem loco idem Martialis ostendit his versibus (2):

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis lota foveris aquis;
Sed meus, ut de te taceam, Lecania, servus
Judaeum nulla sub cute pondus habet;
Sed nudi tecum juvenesque, senesque lavantur.

13. Mirum autem in modum universa haec sibi nitorem comparant a Capitolini historia, qui, de Marco (3) Antonino verba faciens, obsoletam Hadriani legem a Marco ait restitutam, ut pote qui lavacra mixta submoverit. Verum ita molles Quiritium mores, ita in libidinem inclinati, ut balneorum mixturam Elagabalus revocaverit: ita enim ait Lampridius de balneo viris foeminisque promiscuo: *quod quidem, jam antea prohibitum, Heliogabalus fieri permisit* (4). Itaque balnea mista, quae impura illa bellua quodam quasi postiliminio in urbem reduxit, fuere quidem a Severo Alexandro (5) iterum, ac tertio vetita; ut hujus lascivi moris tertia tandem lege nervi penitus obtruncati viderentur.

14. Caeterum ita profundas pestis illa radices egerat, ut de illa idem judicari fas fuerit, ac de audiendis mathematicis, quorum genus, ut ait (6) Tacitus, *semper in urbe vetabitur, ac retinebitur.* Si quidem Valeriani Caesaris aevo (qui ob probatam morum integritatem, postremus omnium Romanorum (7) in privata fortuna, populi Romani censor est designatus) vobis ostendam ego Collegis optimis, edictum Alexandri de mistis balneis submovendis omnino conticuisse. Maximus enim ille Carthaginensium antistes Cyprianus, qui (8) salutis nostrae anno bis centesimo, ac quinquagesimo, Decii vero Caesaris secundo, aurea illa sua scribebat volumina (hoc

(1) Martial. l. 3. ep. 51.
(2) Ibid. l. 7. ep. 34.
(3) Jul. Capitol. In M. Anton. c. 3.
(4) Lamprid. in Vit. Alex. Sev. c. 24.
(5) Ibid.
(6) C. Tacit. in Annal.
(7) Trebell. Pollio in Valerian.
(8) Baron. in Annal. Eccl. Muratorius. in Annal. Ital. ad ann. 250. et 227.

est annis ab Alexandri edicto viginti tribus, annoque ipsius Severi sexto, ac Christi biscentesimo, ac vigesimo septimo promulgata) balnea nedum viris, ac foeminis, sed et communia ait ipsis fuisse virginibus, iisque non tantum ethnicis, verum etiam christicolis Verba vobis in medium proferam clarissimi, ac sanctissimi antistitis Christianas virgines, communia viris balnea non vitantes, acerbe increpantis: quo certe nemo neque clarius, neque apertius moris hujusce historiam expressit; ita enim (1) ait: *quid vero, quae promiscuas balneas adeunt, quae oculis, ad libidinem curiosis, pudori, ac pudicitiae corpora dicata prostituunt? Quae, cum viros, atque a viris, nudae videant turpiter, atque videantur, nonne ipsae illecebram vitiis praestant? Nonne ad corruptelam, et injuriam suam desideria praesentium sollicitant, et invitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpusculi cura est, et lavandi. Non te purgat ista defensio; nec lasciviae, ac petulantiae crimen excusat. Sordidat lavatio ista, non abluit; nec emundat membra, sed maculat. Impudice tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudice; oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed, dum oblectas alios, ipsa pollueris. Spectaculum de lavacro facis: Theatro sunt foediora quo convenis, verecundia illic omnis exuitur simul cum amictu vestis: honor corporis, ac pudor ponitur; denotanda, et contrectanda virginitas revelatur. Jam nunc considera, an, cum vestita es, verecunda sis inter viros, cui ad inverecundiam proficit audacia nuditatis.*

15. Post haec, si quid addi vellem, acta omnino agere viderer. Itaque ad eam submovendam potius auctoritatem, quam adversariorum sententiae veterum commodant dicta scriptorum, paucis incumbam. Varronis, ac Gellii dicta de foemineis balneis a virilibus omnino sejunctis, ea Romanorum denotant tempora, quibus veterum Quiritium sanctimonia, cum libertate vigebat. Plinii vero epistola de privatis balneis, non de publicis sermonem habuisse dicenda est; non enim argenteis soliis publica sane lavacra fulgebant, sed privata illa, quae domi suae divites possiderent; quibus et ipsi opulentiores libertini superbirent, ita ajente (2) Seneca: *Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum statuarum, quantum columnarum nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, et impensae causa! Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis, et praetiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.* Nihil ergo ad rem nostram quae de domesticis, ac familiaribus Quiritium balneis recensuit Plinius.

16. Ra-

(1) S. Cyprian. de habitu Virg. p. 136. (2) L. Senec. epist. 86.

16. Ratio una superest evincenda, quae a pudicitia, et honestate promanat. Verum ita luxuriae rictu Martis moenia marcuisse jam patet, ut in nulla penitus civitate hilariori vultu foedissima quaeque reciperentur. Ad summam non aliam eam urbem, eam rerum dominam fuisse putabitis, quam *foedos in pestilentia campos, in quibus*, ut ad rem (1) ait Petronius, *nil aliud est, quam cadavera, quae lacerantur, aut corvi, qui lacerant*. Igitur omnibus in libidinem pronis, perditisque:

Quaerit se natura, nec invenit: omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus.
Romae hoc dedecus est populi, morumque ruina.

Kal. Martiis 1776.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO II.

In A. Gelii cap. 23. lib. 1.

De Praetextato, et Praetexta.

Celebris hujusce praetextati historiam, nedum a Gellio nostro nitide (2) traditam, verum etiam apud veteres plerosque rei Romanae scriptores ita pervulgatam habemus, ut ne, lauto absoluto convivio, crambem vobis cultioris notae Collegis afferam repetitam, satius duxerim quaedam exscribere de gente Papiria, unde praetextatus exiit, quaedam de praetexta delibare, unde nomen assumpsit. Hoc enim sane comperio in literis, absque priscorum nominum, ac morum historia, nec haberi eas hodie, nec tractari commode posse; qua nisi tinctus lector est, atque imbutus, non pure, nec liquide, sed quasi per nebulam optimos quosque scriptores potis est intelligere. Mihi in hoc genere duo erunt curae; brevitas, veritasque. Hanc, ut potero, sequar, alteram me jam credo assecutum.

2. Papirios non plebejos tantum, sed et minorum gentium patricios fuisse constat, ex perbella Marci Tullii ad Papirium Petum (3) epistola. Patriciorum princeps Lucius Papirius Mugillanus, qui consul cum Lucio Sempronio Atratino fuit, cum antea censor

 cum

(1) Petron. in Satir.
(2) Aul. Gell. noct. attic. l. 1. c. 23.
(3) M. Cicero ep. 21. l. 9.

cum eodem fuisset, anno post Romam conditam 312., sed tum Papisii dicebantur. Post hunc tresdecim fuerunt sella curuli ante Lucium Papirium Crassum, qui primus Papisius est vocari desitus. Is dictator, Lucio Papirio cursore equitum magiſtro, factus est anno ab V. C. 415., et quadriennio post consul cum Cajo Duillio: hunc sequutus est Cursor, homo valde honoratus: deinde Lucius Masso aedilitius; inde multi Massones: deinde Carbones, et Turdi insequuntur, hique plebeji. Item et Peti, ex quibus Petus ille Papirius, ad quem inscriptae duodecim Tullianae (1) leguntur epistolae venustatis, ac leporum plenae.

3. Praetextatos sequioris aevi e vetusta Papiriorum gente prodiisse non ita facile dixerim; nobilitate praecipuos usque ad urbis interitum extitisse facilius dixerim. De praetextato nempe Asinio cum Aufidio Attico consule Gordiani aevo, verba faciunt Capitolinus, et Cassiodorus (2). Rufium praetextatum Constantinorum imperio clarum, consulemque marmora (3) exhibent ordinarium: proconsulem vero in Africa fuisse dignissimum his testatur (4) versibus Numantianus:

Rexerat ante puer populos proconsule poenos:
Aequalis Tiriis terror, amorque fuit.

4. Praetextatum alium ingenuae indolis, gravitatisque priscae senatorem Ammianus Marcellinus (5) a Flavio Claudio Juliano imperatore proconsulem Achajae factum fuisse testatur. Praeclarissimi, Valentinianorum aevo, pretextati idem meminit Marcellinus (6) his verbis: *praefecturam urbi sublimius curans, per integritatis multiplices actus et probitatis, quibus ab adolescentiae rudimentis inclaruit, adeptus est id, quod raro contigit, ut cum timeretur, amorem non perderet civium.*

5. Aurea ista virtus ad postremum usque praetextatum velut haereditaria transivit, qui sub Theodosio claruit seniore, designatusque consul occubuit. Eum coaevus appellat Symmacus (7); *in alios temperatum, in se severum, sine comtemptu facilem, sine terrore reverendum*; hic ille ultimus gentis est praetextatus, cujus ob mortem, eodem (8) tradente Symmaco: *praeter illum populi Romani inusitatum dolorem, etiam senatus, impatiens dispendii sui, petiit solatium de honore virtutis, numenque Caesaris precatus est, ut virum, sua aetate mirabilem, statuarum diuturnitas traderet oculis posterorum.* Hic ille est prae-

(1) Epist. famil. l. 9.
(2) Capitolin. in Gordian. Cassiodor. in Fast.
(3) Juretus ad Symmac. p. 279.
(4) Claud. Rutil. Numantian. Itiner. l. 1.
(5) Hist. l. 22.
(6) Hist. l. 27.
(7) Symmachi epist. l. 10. ep. 25.
(8) Ibid.

praetextatus,quem optimum ex collegio pontificum Symmacus idem vocat (1) sacerdotem; quem Macrobius sacrorum unice (2) conscium, religiosorum (3) principem, religionis (4) praesulem, arcanae Deorum naturae callentem (5) appellat. Hic ille est praetextatus, cui novo penitus more virgines sacri vestalis antistites statuam censuere locandam, ut in poſteriori de vestalibus oratione advertemus. Hic ille demum est praetextatus, de quo haec habet Hieronymus: *miserabilis ille praetextatus, qui designatus consul est mortuus, homo sacrilegus, et idolorum cultor, solebat lubens beato papae Damaso dicere: facite me Romanae urbis episcopum, et ero protinus Christianus* (6).

6. Sermoni de praetextatis meo finem imponam, duas veteres afferens inscriptiones, quarum alteram praetextato, alteram Catulinae conjugi positam servavit antiquitas (7): prima sic se habet.

Vettio Agorio praetestato V. C. et inlustri,
Correctori Tusciae, et Umbriae, consulari
Lusitaniae, proconsuli Achajae, praef. urbi;
Praef. praetorio Illirici, Italiae, et Africae,
Cons. des. legato amplissimi ordinis septies,
Et ad impetrandum rebus arduis semper opposito
Parenti publice, privatimque reverendo; ut etiam
Statua ipsius domus honoraret insignia
Constitui, locari que curavit.

Sic vero secunda

Fabia Aconia Paullina ac. Catullini V. C. ex praefecti cons. ordinarii,
Uxor Vettii Agorii praetextati praefecti, et consulis designati
Sacrata deae Cereri.

Haec de praetextatis: modo ad praetextam veniamus.

7. Praetextam togam non totam sane purpuream, sed albam fuisse purpureo praetextam limbo severioris notae scriptores tradunt. Praetextati sic pueri curiam cum patribus intrare solebant, ut ex nostro jam Gellio accepimus. In curiam, inquam, non Veterem, sed Hostiliam; curiae quippe duorum generum, ut ait (8) Varro, ubi nempe sacerdotes curarent res divinas, ut curiae veteres, et ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quam Hostilius aedificavit: hincque obiter noto, curiones dictos, ac decuriones, ex quo tribuum curia pars erat decima: res curiones agebant sacras, decuriones humanas. 8.Ma-

(1) Ibid. l. 1. ep. 41.
(2) Saturnal. l. 7. c. 1.
(3) Ibid. c. 11.
(4) Ibid. c. 17.
(5) Ibid. c. 24.
(6) In epist. 15. ad Pammachium.
(7) Juretus ad Simmac. l. 10. ad ep. 26. p. 274.
(8) De ling. lat. lib. 5.

8. Male igitur authumant, qui universam murice tinctam asseruere praetextam, quae purpureo tantum ad extremitatem limbo alba fulgebat: sicut enim tradente (1) Macrobio περίλευκον vestis erat album habens intextum, ita περιπόρφυρος vestis est intextum habens purpureum.

9. Praetextam hanc (a Romulo, ut Plutarco (2) placet) seu potius a Tullio Hostilio, ut Plinius (3) putat) inventam, usque ad sextum decimum, Tulliano aevo, pueri gestabant annum (4): ante Tullium vero ad annum usque decimum septimumque, quo pueritiae finis imponebatur (5) Itaque modo prius illa ponebatur, modo posterius; atque, ut praecisius rem acu tangam, uſque ad eum gestabant diem, quo virilem pueri sumebant togam, ac pueritiam exuebant.

10. Bulla pueris patriciis, atque nobilibus aurea addebatur, collo suspensa, atque a Prisco Tarquinio instituta, ut plerique (6) sentiunt. Verum libertini, quibus aureae bullae collo gestandae jus non erat, scorteam habebant: *simul cum praetexta*, ait (7) Asconius, *etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea*. Scortea dicebant veteres quae ex corio erant, pellibusque confecta; ideoque scorta dicebantur pellices, atque in Attellanis pelliculae: *in Atellanis*, inquit Varro (8), *licet animadvertere rusticos dicere se adduxisse pro scorto pelliculam*: quare in locis sacris, ac dignioribus, tamquam morticina, ac villioris notae nomina vitabantur:

Scortea non illi fas est inferre sacello;
Ne violent puros exanimata Deos (9).

Jure igitur maximo, quicquid contra in Electis authumet Lipsius (10), a proscenio, tamquam digniori loco, scortum exoletum Plautus meus jubet arcendum (11):

Scortum exoletum in proscenio ne sedeat,

ex eo quippe loco ludos Augusti, tamquam digniori, commodiorique spectabant: *hos ludos*, ait (12) Svetonius, *spectavit in proscenii fastigio*, cui Turnebus adstipulatur, ac Bulengerus (13).

11. Sed de incidentibus satis, redeamus ad nostra; ut pueris, ita et puellis praetexta communis: illi, cum togam induerent, prae-

(1) Macrob. Saturnal. 1. 6.
(2) Plutarc. in Vita Romuli.
(3) Plin. l. 9. c. 39.
(4) Midleton Vit. Cicer. t. 1. p. 13. e t. 3. p. 110. Sveton. in Augnst. c. 8.
(5) Levin. Torrent. ad Svet. in Aug. c. 8.
(6) Baif. de Re Vestiar. c. 10. Ferrar. de Re Vestiar. 1. 1. Manut. quaest. ep. l. 3. ep. 2.
(7) Ascon. in tertia Verrina.
(8) Varro de lingua latin. l. 6. c. 5.
(9) Ovid. in Fast. 6.
(10) Elector. c. 21.
(11) Plaut. in penul. Prolog.
(12) Sveton. in Neron. c. 12.
(13) Turneb. in Adversar. 8. c. 25. Bulenger. de Theatr. l. 1. c. 26.

praetextam ponebant ; hae , cum stolam virumque acciperent . Clare id connotat Propertius dum ait (1) ;

Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis :

quibus quidem puellis , cum praetextam ponerent, pueri obscena inclamabant, ut post Festum notarunt Bossius, atque Ferrarius (2).

12. Praetexta insuper propria magistratuum erat omnium vestis, ac sacerdotum, ut de magistratibus late apud Livium (3) patet, et apud Appianum (4) qui haec ait : *Cinna praetor, ingressus in medium, praetextam exuit, quasi contemnens a tyranno datam*, et apud Svetonium, qui haec (5) habet de Caesare praetoria dignitate exauctorato : *abiectaque praetexta, clam domum refugit* : optime autem Cicero, qui de Lentulo adhuc adolescente (6) inter augures adlecto haec tradit : *cui superior annus, et virilem patris, et praetextam populi judicio dedit*, et Vatinium (7) insectans, *Vatinii*, inquit, *strumam sacerdotii διβαφῳ vestiant*.

13. Id erat autem in magistratu praetorio praecipuum, ut, antequam damnationis sententiam praetores pronunciarent, momento temporis praetextam ponerent ; quippe qui nefas esse putarent tristem dicere laeta veste sententiam. Locum de hoc more apud Maximum (8) habemus notatu dignissimum, ubi Licinius Macer repetundarum reus cum M. Tullium praetorem praetextam ponentem vidisset, misit ad eum nuntians se ante sententiae prolationem occubuisse; atque illico, spiritu, intra fauces compresso, expiravit. Tam subitae mortis causam optime nostis ; nempe quia damnati hominis in fiscum, et accusatores, indemnati in filios, atque haeredes bona transibant. Seneca hunc (9) morem innuens *perversam* hoc ait casu praetori vestem induendam : Muretus (10) in hunc Senecae locum authumat rectam, ac nitidiorem vestem introrsus a praetore conversam, itaut interiorem, adversamque vestis partem intuentium oculis praeberet: alii, ut puto melius, censent, praetorem eo casu, abjecta praetexta in simplici toga pronunciasse (11).

14. Duo nunc nobis Clario Apolline digna ob oculos obversantur : primum nempe, an tribuni plebis praetexta uterentur : alterum, an eadem omnino fuerit praetexta pueris, ac magistratibus. Gemina brevibus absolvemus. Ad primum quod attinet Plutarcus

(1) Propert. iv. xii.
(2) Boss. de Tog. c. 11. Ferrar. de Re Vestiar. c. 1.
(3) Lib. 34. c. 7.
(4) De bello civil. ii.
(5) In Jul. Caes. c. 6.
(6) Pro Sestio c. 69.
(7) Ad Attic. ii. 9.
(8) Valer. Maxim. 9. 12.
(9) L. Seneca de ira i. 15.
(10) M. Anton. Muretus in not. ad Senec.
(11) Kippiorg. Antiquit. Romanor. 4. 5. 4.

cus (1) nedum tribuno plebis praetextam negat, sed nomen usque magistratus. Verum haec mihi saepe sors obtigit, ut in Plutarco Plutarcum quaeram; quod et in caeteris plerumque Graecis notavi rei Romanae scriptoribus. Quot enim puerilibus quandoque Plutarcus abundet spalmatis vel ex Lipsio (2) colligi potest, sed multo uberius ex clarissimo illo Angliae scriptore in Ciceronis (3) vita, quam scripserat antea Plutarcus.

15. Sistat ergo in judicio Plutarcus. Ignoscite vero, Collegae optimi, si in conspectu vestro Bononiensi ego praetor, Plutarcum damnaturus auream (4) ponam praetextam aut invertam. Non ergo tribunum plebis appellas, neque censes, Plutarce, magistratum? At censuit Tullius (5) de tribuno plebis haec dicens: *per eum magistratum, qui auxilii causa constitutus est*: censuit Caesarum aevo etiam Tacitus, qui magistratus (6) omnes singillatim enumerans, quaestorem, aedilem, tribunum, praetorem, et consulem, uno ait, eodemque anno, defunctos: censuit denique (7) sequiori aetate, Graecus licet, Appianus, qui tribunatum, non nudo magistratus appellat nomine, sed sacrum dicit magistratum; nempe quia, ut pueri metipsi sciunt, innuptaeque puellae, inviolabilis erat plebis tribunus.

16. At praetexta non utebantur. Quid? quod ambitiosiorem Quinctio praetextam tribuno Tullius adscribit, dum (8) ait: *illam usque ad Talos demisse purpuram recordemini*: ad quem Tullii locum haec ad rem nostram (9) Quintilianus scripsit: *adversus Quinctium Cicero non haec solum, sed ipsam etiam praetextam ad talos dimissam insectatus est; neque usum praetextae, sed latiorem arguit purpurae limbum ad talos demissum*: enim vero Graecus ipsemet citato mox loco Appianus nedum sacri magistratus nomine tribunatum designat, sed et *sacram* (10) *tribuni praetextam* appellat. Ut autem, Plutarce, videas quam te large decipias, vel unum hunc inspice Livii locum, qui haec habet (11): *hic Romae infimo generi magistris vicorum togae praetextae habendae jus permittimus*. Ita ne vero quam leges vicorum infimis tribuere magistris, praetextam, Plutarce, neges plebis tribunis, a quibus ipsimet Caesares tribuniciam mutuati sunt potestatem?

17. At

(1) Plutarc. quaestion. Roman. 80.
(2) Elector. p. 506. et 629. Variar. Lect. p. 923. 924., et 592.
(3) Midleton. Vit. di Cicer. passim.
(4) Auream. Bononiensibus praetextam praetoribus dono dedit Carolus V. Romanorum imperat. Vide in fine dissert.
(5) M. Tull. Cic. pro Quintio c. 20.
(6) Tacit. Annal. lib. 12.
(7) Appian. Alex. de Bell. civil. l. 4.
(8) M. T. Cic. pro Cluentio c. 40.
(9) M. Fab. Quint. l. 5. c. 13.
(10) Appian. Alex. de Bell. civ. l. 4.
(11) Tit. Liv. l. 37. c. 7.

Digitized by Google

17. At lictores non habebant: fatemur. Sed viatoribus utebantur: *ardens*, ait Livius, *ira tribunus* (1) *viatorem mittit ad consulem*: sed tali potestate pollebant, ut censores, et consules publico tentaverint quandoque carceri mancipare: sed non prius tribunatum capere poterant (post Sillam saltem, aut Atinium plebiscitum) quam senatores jam essent: *sed tum*, ait Cicero, *petivi a senatore* (2) *nobilissimo, tum adolescente gratiosissimo, nunc a tribuno plebis, et a Curione tribuno*. Sed intercessionis jus Caesareo etiam aevo retinuere: *aderat consilio Rusticus Arulenus*, sunt verba (3) Taciti nostri, *flagrans juvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto: nam plebis tribunus erat*: ejusdemque (4) scriptoris ista sunt verba: *Junius Otho tribunus* plebis *intercessit*. Merito igitur, qui spongia scriptum oblinas, es Plutarce damnandus.

18. At videamus quaeso, Collegae optimi, quae clarum caeteroquin scriptorem in tam crassum errorem induxerint. Rem paucis absolvam. Plutarchi aevo tribunicia potestas, nomine tenus in tribunis, re autem vera in Caesaribus universa fulgebat. Tribunorum itaque intercessio vana, et nemini profutura dignoscebatur. Quamobrem merito Trasea Petus, senatus consulto jam moriturus, Aruleno Rustico tribuno intercedere cupienti, ut ait (5) Tacitus, *cohibuit spiritus ejus, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa inciperet*: et Otho ille tribunus, de quo verba fecimus, cum intercessisset, ne accusatori praemium decerneretur, fuit exilio (6) multatus. Cum igitur sequiori aevo umbratilem potius, quam solidam, tribuni potestatem retinerent, atque incassum plerumque exercerent, haec in decipulam induxere Plutarcum, eumque si non venia, nonnulla saltem fecere miseratione non indignum.

19. Altera modo superest quaestio enodanda, an scilicet, eadem fuerit praetexta pueris, ac magistratibus. Indignum sane prima fronte videtur, eamdem pueris, ac gravioribus reipublicae viris vestem adscribere. Hac itaque ratione ductus alter ex vobis, musarum licet omnium societate dignissimus, eamdem pueris praetextam, ac magistratibus fuisse negavit. Contra ego fuisse eamdem affirmo. Ad hoc enim me movet maxime Macrobius (7) qui de Prisco Tarquinio haec habet: *praetextam illo seculo puerilis non usurpabat aetas, erat enim honoris habitus*: si idem ille *honoris* erat habitus,

I quem

(1) Ib. l. 11. c. 56.
(2) M. T. Cic. epistolar. l. 2. ep. 7. Lips. Elector. 2. cap. 15. Letin. Torrent. in Sveton. Augusto c. 10., et 40.
(3) Tacit. Annal. l. 6. p. 139.
(4) Idem l. 6. p. 74.
(5) Idem lib. 6. p. 139.
(6) Idem l. 6. p. 74.
(7) Macrob. Saturnal. l. 1. c. 6.

quem postea puerilis aetas usurpavit; eadem ergo erat praetexta pueris, ac magistratibus, quibus *habitus* debetur *honoris*.

20. Insuper haec addit ad rem Saturnalium scriptor (1): *Tarquinius Priscus de Sabinis egit triumphum: quo bello filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, pro concione laudavit, et praetexta donavit; insigniens puerum, ultra annos fortem, praemiis virilitatis et honoris*: atqui praetextam puero tradens Tarquinius, praemia dedit honoris: ergo eamdem puero, quae propria erat magistratuum, praetextam adtribuit. Quae vero sequuntur Macrobii verba causam hanc omnino faciunt peroratam; ita enim (2) ait: *hinc deductus mos, ut praetexta in usum puerorum nobilium usurparetur ad OMEN ET CONCILIANDA VOTA VIRTUTIS*. Quonam autem modo usurpata *ad virtutis omen* vestis illa fuisset, nisi habitus fuisset honoris, ac magistratus? Eadem ergo praetexta pueris, ac magistratibus.

21. Praetextam quidam existimant vestem fuisse triumphalem, moti ex eo Tullii (3) loco, *magnus praetextatus eo die fuit*: quibus et favere videtur Svetonius, qui de Tiberio haec (4) habet *urbem praetextatus, et laurea coronatus, intravit*. Verum non ita facile id auserim affirmare: locus enim Tullii triumphalem habitum liquido non designat; poterat enim Pompejus, vir egregius, modestiori praetextae habitu, quam triumphali ludis interesse; licet palmatae togae, seu triumphalis induendae jure polleret. Verba vero Svetonii contrarium probant, si contextum, qui sic (5) se habet, legamus: *triumphum distulit, moesta civitate Clade Variana, nihilominus Urbem praetextatus, et laurea coronatus intravit*: si vero triumphum egisset, palmata veste, ac triumphali insignis ornatu, non praetextatus, egisset.

22. Diversam itaque vestem dixerim triumphalium: cui quidem nostrae sententiae adstipulari videtur (6) Tacitus, qui de Britanico haec ait: *Britanicus in praetexta, Nero triumphalium veste transvecti sunt, ut spectaret populus hunc decore Imperatorio*. Optime etiam nostrae sententiae favet Plutarcus in Mario (7), dum ait *peracto triumpho indixit senatum Marius in Capitolium; atque sive sui oblitus, sive fortuna elatus, affuit triumphalium veste: mox vero senatum id aegre ferre sentiens abiit, assumptaque statim praetexta, reversus est*.

23. Trium-

(1) Idem ibid.
(2) Idem ibid.
(3) M. T. Cic. ad Attic. 6. 1.
(4) Sveton. In Tiber. c. 17.
(5) Ibid.
(6) Tacit. Annal. l. 12. c. 41.
(7) Plutarc. in C. Mario.

23. Triumphalis itaque vestis a praetexta dissimilis : illa enim alba purpureis intexta limbis (ut supra §. 7. atque 8. adnotavimus) ; haec , a triumphalibus gestari solita , purpurea , auroque distincta fulgebat : quare haec habet in Aemilio Plutarcus (1): *Paulus Aemilius purpuream vestem intextam auro indutus* : et Livius (2) : *victor Paulus auro , purpuraque fulgens* : ac denique (3) Ovidius ,

Vidimus ornatos cerata per atria picta
Veste triumphales occubuisse senes .

24. Vestis igitur haec proprie picta dicebatur , ut mox a Nasone habuimus ; facitque ad rem Livius , qui (4) hanc *vestem pictam , ac triumphantium propriam* appellat. Dicta fuit et palmata a palmis acu pictis , de qua Martialis haec (5) habet :

I comes , et magnos illaesa merere triumphos ,
Palmataeque ducem , sed cito , redde togae ;

et Svetonius (6): *Crasssus frugi in veste palmata* : Servius itidem de hac verba facit (7) inquiens : *palmata , quod illam meruerint ; qui reportassent de hostibus palmam*, ac Sidonius demum Apollinaris haec ait (8):

. . . . meritisque laborum
Post palmam palmata venit .

25. Aevo Caesarum senescente non contenti consules praetexta , pictam usurpavere ; quin immo consules , ac praetores , qui vera erant , simplicique praetexta , cum libertas vigeret , ornati , pictis postea usi sunt , quae consulum , praetorumque propriae sunt factae . Perbellum ad rem afferam Lampridii locum , qui haec apte (9) confirmet : *pictam togam non umquam , nisi consul , accepit , et eam quidem , quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut praetores , aut consules* : quare suam merito vestem , suumque appellans praemium , hanc pictam , palmatamque consul Ausonius sic Gratianum (10) alloquitur : *palmatae vestis meae ornamenta disponis feliciter , et bono omine ; nam iste habitus , ut in pace consulis est , sic in victoria triumphantis* : et alio (11) loco

Vix trabeam , pictamque togam , mea praemia , consul
Induerer .

Palmatamque hanc , oblita , nedum abjecta , pene praetexta , propriam consulum vestem dicunt sequioris aevi scriptores (12) .

I 2 26. Enim

(1) Plutarc. in Emil. Paullo .
(2) T. Liv. l. 45. c. 49.
(3) P. Ovid. Naso Fast. 6. v. 633.
(4) T. Liv. l. 30. c. 15.
(5) Mart. l. 7. ep. 2.
(6) In Claud. c. 17.
(7) In Æneid. 11. 34.
(8) Carm. 5. 5.
(9) Lamprid. in Vit. Alex. Sever. c. 40.
(10) Auson. in Panegir. Grat.
(11) Auson. Idill. 4. v. 91.
(12) Vide Aurel. Simmac. et Juret. ad eumdem l. 6. epist. 40. p. 181.

26. Enim vero illo senescentis, immo, et morientis Urbis aeternae saeculo, ita fluxi Romanorum mores, ita novo quodam luxuriae genere inquinati, ut, si Ammianum (1) consulas Marcellinum, nec a miseratione, nec a rubore censeas abstinendum: *probra enim, aliaque his majora, dissimulatione jugi neglecta, ita effrenatius exarserunt, ut nec Epimenides ille Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus redisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam; tanta plerosque labes insanabilium flagitiorum oppressit*. Itaque veteri illa Quiritium disciplina sublata, consules sive ordinarii sive suffecti, a simplicis nedum usu praetextae abhorrebant, verum etiam, bigis invecti, novum, atque inusitatum, nullo acto bello, triumphum agebant. Testis mihi sit Symmacus, qui natali Urbis die (quem Plinius (2) in XI. Kal. Majas incidisse tradit) suffectum consulem triumphali curru narrat, fracto crure, sublatum: quod pessimi ominis ostentum non sine horrore per haec ipsissima refert (3) verba: *illud ante omnia interpetratio tristis horrescit, quod natali Urbis suffectum consulem currus evoluit per ferociam bigarum, quae triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, et consulari insignis ornatu fracto crure sublatus est*.

27. Non igitur mirum, si Romana gens ferro dudum, ac robore insignis, dum in haec fluxit incitamenta libidinis, suo tandem fuit proxima exitio: neque mirum, si gentium domina fuerit, quousque *ad concilianda vota virtutis* una et simplex praetexta valeret. De hac dixi, ut potui: ardua insuper, et clivosa quaedam, quoad potui, explanavi. His interim universis, tu Praesul amplissime, qui mea haec omnia nova quasi lampade lustras, vos Collegae optimi, non faveatis, sed ignoscatis, oro, atque obsecro; non enim vestrum huic operi favorem adprecor, vestram tantum deprecor iram.

Sexto Kalendas Aprilis 1775.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

LE-

(1) Ammian. Marcell. l. 28. p. 534. c. 4.
(2) Plin. l. 18. c. 26.
(3) Symmac. l. 6. ep. 40.

LECTORI BENEVOLO

Quoniam de aurea Bononiensis praetoris praetexta in superiori § 15. dissertatione habita est mentio, non abs re me facturum puto, si quas habui, tam in auspicandis, quam in ponendis praetoriis Bononiae fascibus, orationes veluti corollarium huic operi quoddam, nectam.

ORATIO

HABITA KALENDIS QVINTILIBVS

AD AMPLISSIMOS BONONIAE CONSCRIPTOS PATRES
PRESENTE AC PRAESIDENTE LEGATO

ANTONIO COLUMNA BRANCIFORTIO

S. R. E. CARDINALI
OPTIMO PRINCIPE.

Quod plurimis erat sane pertimescendum clarissimis in hac republica viris, praetorios fasces cum imperio auspicantibus, id hodie mihi est maxime optandum. Quos enim equos, equitesque, quos clipeos, quae vexilla, quem eductum, Patres Conscripti, vidistis gladium, ea omnia praetoriae potius dignitatis ornamenta, quam munimina conspexistis. Non enim difficillima hodie video mihi agenda bella, non agmina ducenda, hostium moenia expugnanda, non Reges iterum post terga vinciendos. Vos, clarissimi Patres, vetustae victorum gloriae non indecora pacis insignia praetulistis, vos, pacem bello praeponentes, universa haec vestra Romanae Sedis, maximi Sacerdotis potestati, et fidei, ac tutelae subdidistis; pacatum vos, obsequentemque animum erga Romanos Pontifices, numquam satis laudanda libertatis reformatione, confovetis. Alacri ego igitur vultu sceptrum, et fasces, et auream praetextatam, praetoria ornamenta, suscipio; quippe qui Tulliana illa verba in me quasi dicta esse video, ocium mihi habendum esse cum dignitate, negotium sine periculo. Quid ergo mihi aliud superest quam vobis, atque amplissimo ordini vestro gratias agere, qui me tanto ornandum honore duxistis? Hic mihi certe haeret aqua; non enim grates oratio complecti ornando, non potest numerando percensere; ut juvet eas justo potius silentii obsequio praeterire, quam inanis facundiae molestia describere. Si quod igitur praetereo, id melius me praestare intelligatis, nec alienae eloquentiae, nec alienae invidebo felicitati. Kal. Juliis MDCCLXXIV. SE-

SEQUENS ORATIO

DICTA FUIT KALENDIS JULIIS MDCCLXXVI.

POST PRAETURAM BIENNIO ADMINISTRATAM.

ADLOCUTIO

IN PONENDIS FASCIBUS

Ad Patres Conscriptos,

PRESENTE, AC PRESIDENTE EODEM OPTIMO PRINCIPE.

Illud apud Romanos rerum dominos juris obtinuit, ut qui amplissimos magistratus pro concione adipiscerentur, constituta die eosdem pro concione ejurarent. Morem hunc nostra est sapiens imitata respublica: hic enim praetor pro concione suscipere, hic magistratus insignia ponere coram optimo Principe lege jubetur; ut, ubi summa cum laude fasces traduntur, ibi nulla cum labe restituantur. Illud vero mihi hodierna die fortunatissimum, quod non adstantes video Metellos, qui, ut olim Marco Tullio magistratum ponenti, innocuam mihi hodie concionem intervertant. Me sane recreat, ac reficit presentia optimi Principis, qui pro sua in nos clementia, atque animi magnitudine, innumeris nos in dies beneficiis auxit, ornavit. Patrum vero Conscriptorum, excelsique Senatus ea fuit humanitas, ea omnium una sententia, ut in ipsis vel nostris praetoriae dignitatis initiis ad amplissima haec ipsa denuo terenda subsellia, ad hos fasces resumendos praetorem iterum (1) designaverint. Haec profecto tanta sunt, ut ad debitas grates agendas graviorem longioremque orationem expostularent. Verum si ad amplitudinem beneficii praedicandam vires omnino sunt impares, ipsa tamen accepti benificii amplitudo satis est atque super, ut extet ad memoriam nedum nostram, verum etiam posteritatis sempiternam.

Dicta Kalendis Quintilibus MDCCLXXXVI.

DIS-

(1) Licet designatus, praetor iterum tamen auctor esse non potuit: ab optimo enim principe Ignatio Boncompagnio, ad purpuram simul, et Bononiensem provinciam cum imperio regendam, evecto, legationis est factus generalis auditor: quo in munere, quadriennio jam confecto, versatur adhuc superis adjuvantibus. MDCCLXXXII.

DISSERTATIO III.

In A. Gellij cap. I. lib. IX.

De obaeratorum dissectione ex lege XII. *tabularum , in qua quaeritur quid re ipsa lex in obaeratos indixerit.*

Quod erat mihi maxime pertimescendum, hodierna die accidit, optime Princeps, in qua cum clarissimo viro mihi video esse decertandum, quem tu, bonique omnes, atque ego potissimum suffragiis universis, eruditorum aetatis nostrae facile principem judicamus. Mihi autem cum eo, tamquam cum hoste congredi, cum injucundum ob communem amicitiam, tum vero ob eximiam ejus virtutem, atque elegantiam ita periculosum videtur, ut facile caussam desererem, nisi me ad eam tuendam jura omnia tam pietatis, quam honestatis impellerent. Novam enim, et ante hunc diem pene inauditam, novique generis criminationem clarissimus vir ad te, Princeps optime, detulit: juris consultos omnium generum, aetatum, ordinum, ab Augusto ad nos usque, (si duos, aut tres, neque sane Latii, aut Italici littoris, Bincherſoechium nempe, Haeraldum, ac Robertum (1) excipias) ita desipuisse, ut eorum ferme caput nec tribus anticyris umquam sit sanitati suae restituendum. Judicium autem esse vides, optime Princeps, non de Gellii litteris (quod ferendam sane haberet jacturam) sed de juris consultorum pene omnium fama, indigna criminatione accusatorum; ut proinde fatuos veteres, stultissimos hic reputet recentiores, nosque in eam velit sententiam adducere, ut clariora illa nostri senatus lumina, Cujacios, inquam, Hottomaños, Gothofredos, Gravinas, caeterosque ejus notae viros, in XII. tabularum legibus explicandis vel maximas nugas egisse vel somno saltem indulsisse dicamus. Turpem autem, ne dicam impium, plerique fortasse judicarent, si ego homo jurisconsultus jurique dicendo plurimis ab hinc annis addictus causam hanc omnino desererem. Hanc igitur, optime Princeps, Sodalesque omnes, alacriori quidem animo hodierna die tuendam aggrediar, in qua me non mediocriter recreat,

ac

(1) Eincherſoech l. 1. c. 1. de poena Capitis, et debitorum ſectione, et XII. tabul. Desider. Herald. de auctorit. rer. judicat. l. 2. cap. 25. Anneus Robert. rer. judicat. l. 3. c. 6.

ac reficit praesentia doctissimi Praesulis (1), qui, licet amplissimi sacerdotii curis distineatur, nostra tamen non despicit studia literarum. Ad vos igitur, veluti ad reciperatores meos, sermonem hodie convertam, vobisque lubens caussam, quae mihi cum fortissimo est adversario, dijudicandam exponam. Quod si ars illi, et natura dedit, ut quidquid velit suadere valeat, semperque valeat, mihi caussa dat, ut hodie valeam, magnisque viribus valeam. Neque vero magnam me conſequi puto victoriam; si enim rem ita, uti omnes credunt, fuisse dixerim, *vitavi denique culpam, non laudem merui*: te vero, qui contra cenſes, vir clarissime, licet rem non acu tetigeris, summis adhuc omnes in coelum laudibus evehent.

2. Verum, Sodales, quae tam novae sint inspiciamus fundamenta sententiae. Negat ipse per XII.tabulas secandi corporis obaerati facultatem fuisse concessam, *sed unam operarum sectionem indultam esse* contendit. Id vero I. ex verbis legis suadet; II.ex legis aequitate, a nece dicenda, saevissimaque membrorum dissectione abhorrente; III. denique ex membris ipsis numquam a legis aeditione dissectis.

3. A postrema hac nobis objecta ratione ordiar; utque cum eo quam liberaliter agam; aequo illud animo, libentique concedam, a legis aeditione ad nos usque numquam obaerati hominis corpus fuiſſe dissectum, legem ipsam numquam Romae executioni mandatam. Age vero, vir optime, tu, qui dialecticis disciplinis maxime polles, ubi nam gentium audisti: non moribus inducta lex, ergo non lata? diu non servata, ergo non aedita? Tu, vir clarissime, cui sane omnia suppetunt, quae consequi ingenio homines aut sapientia possunt, optime nosti, quod per leges licuisset Quiritium, Romanis quandoque moribus sero fuisse receptum, quandoque moribus etiam omnino repudiatum.

4. Licuit per leges Quiritium, licuit per leges XII.tabularum filium nulla nec dicta causa, nec cognita, pro lubitu patris exponere, interficere (2), plures vero filias ob miseram patrum egestatem expositas, plures legimus paterno judicio necatos, neminem sane patris lubitu interfectum; crudelem hanc enim licentiam, immanem hanc saeviendi pro arbitrio facultatem Quiritium mores repudiarunt. Licet autem moribus non accepta, lex tamen lata.

5. Verum ad gratiora veniamus. Matronis, tradente Livio (3), pro

(1) Rmus Imeriae tunc episcopus, hodie Emus Jeannettus Bonon. Archiepiscopus.

(2) Dionis. Alicarn. l. 2. p. 99. Bincher-soec. de jur. occid. lib. cap. 1.

(3) Tit. Liv. lib. 5.

pro auro ad liberandam a Gallis Romam, collato, gratiae actae, honosque ille fuit habitus, ut earum, sicut virorum, post mortem solemnis esset laudatio. Erat enim, ut ait Plutarchus (1), magna in Urbe auri inopia. Ibi magistratibus deliberantibus, qua id ratione confici posset, mulieres habito seorsim consilio, mundum suum omnem aureum contulerunt; fuitque auri pondus talenta octo: quas Senatus, praetio postea persoluto, remunerandas statuit, ut defunctae, perinde atque viri, in funere laudarentur; antea enim mulierem publice laudari mortuam erat vetitum. Hoc Senatus consultum anno tercentesimo quinquagesimo octavo fuit editum, post actum nempe a Camillo de Vejentibus triumphum: illud autem mirum, tribus ferme a concesso honore seculis legem conticuisse, moribus non acceptam, licet gratam, licet maxime honestam, licet summa cum laude promulgatam. Nam Popiliam, Catuli oratoris matrem, primam omnium hoc honore affectam scribit Cicero per haec verba: *In eo quidem genere scio me, et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, cum abs te, Catule, est Popilia mater vestra laudata; cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto.*

6. Quid, quod lege ipsa XII. tabularum res suas sibi habere uxorem vir poterat imperare? Contra vero per annos fere sexcentos lex illa obmutuit; neque ideo quisquam non latam asseruit, licet Tertulliano teste (2), per immensum prope annorum curriculum nullum senserit domus ulla repudium.

7. Verum ut propius accedamus ad nostra, a lege XII. tabularum permissam in obaeratos membrorum discissionem (praeter verba legis, de quibus inferius loquar) ita nitide tradit Gellius (3), ut vel unus quaestioni huic nostrae dirimendae satis esset; nisi vos Gellium persaepe, Sodales, quasi hac ipsamet XII. tabularum lege in ipsum agentes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, praeberetis in frusta lictoribus dissecandum: atqui si paulo aequiores esse velitis, vel illud admittatis oportet, Gellium in hac sane re neque a vero, neque a recto aberasse. Gellius siquidem virum jurisconsultum inducit Caecilium de hac legibus permissa membrorum sectione disserentem. Quis autem Gellium pastoritia fistula non irridendum plane duxisset, si Caecilium in scenam protulisset XII. tabularum ignarum, quas Romani, ut Petroniano utar vocabulo (4), pueris adhuc nascentibus induebant, quas teste (5) Tullio ut necessarium carmen pueri ediscebant?

 8. Quid

(1) Plutarch. in Vita Camilli.
(2) Tertullian. in Apolog.
(3) Aul. Gell. noct. Atticar. l. 20. c. 1.
(4) Satiric. in princip.
(5) De leg. l. 2.

8. Quid, quod Labeonis, Tiberiano aevo (1) XII. tabulas explicantis, libros Gellius se vidisse testatur? Ita ne vero Gellium, ita Caecilium nobis imposuisse dicamus, ut vel omnino mentientes, vel saltem vocum latinarum expertes fuisse arbitremur? Pace tua, vir clarissime, liceat dixisse: Qui Gellium ita condemnat, is potius in suo, quam in aliorum judicio conquiescit.

9. Neque illud objicias, quaeso, cum annis Gellius plane sexcentis a decemviris vixerit legis latoribus, quanti hujus aevi nostrates, tanti esse faciendum. Nollem enim (Homerico verbo utar) tuorum a septo dentium verbum hujusmodi excidisset. An ignoras, quaeso, vir optime, quot, quantisque Gellius niteretur vetustatis praesidiis, quae nos uno vel inani desiderio vix complecti posse fatemur? An nescis infinitam voluminum molem multis a Gellio seculis barbarorum excursione periisse? Num te latet Boetii usque, longeque post Gellium, aevo, bibliothecarum comptos, nitentesque adhuc ebore (2), ac vitro parietes? Ulpiam vero, eamque duplicem librorum immensitate bibliothecam, locatamque ibi Sidonii statuam Apollinaris extremis ferme Romanorum stetisse temporibus (3) quis ignorat? Verum, ut quanti sit Gellius in hac nostra maxime re faciendus, inspicias, illud advertas quaeso, in eadem Ulpia Trajani bibliotheca linteis, atque elephantinis libris vetustissima legum Romanarum volumina fuisse recondita; ista vero Gellium nostrum agnovisse, legisse, manibus pervolvisse. Ita enim ait: *Edicta veterum praetorum, sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Trajani, et aliud quid quaerentibus, cum in manus incidissent, legere, atque cognoſcere libitum est* (4). Tu vero Gellium, veterum monumentorum collectorem, Ulpiae diu, noctuque insidentem, post duas pene annorum miriades, in antiquis legibus perlustrandis audes aequare nostratibus, ad quos nec Tullius integer, nec Livius, nec Naso pervenit? Qui, nisi pauci solertes cucullati quaedam pauca veterum monumenta servassent, an Capitolium steterit, ignorarent?

10. Verum nec unus est Gellius, cui saltem singularitas obesse dicatur. Gellio enim adstipulatur Tertullianus haec ipsissimamet verba pronuncians: *Judicatos in partes secari a creditoribus leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitalis poena conversa est, bonorum adhibita proscriptione* (5).

11. Plu-

(1) Cornel. Tacit. l. 3. circ. fin.
(2) De Consolat. pros. 5.
(1) Sid. Apollin. l. 9. epist. 16.
(4) Lib. XI. cap. XVII.
(5) Tertullian. in Apologet. c. 4.

11. Pluribus autem audio te, vir clarissime, reponentem, atque illud praecipue ajentem, nec tanti esse Gellium, nec tanti esse Tertullianum qui fidem sibi concilient, et obsequelam; vel quia ambo multis quandoque scateant erroribus, vel quia nemo non videat, quantum uterque a Labeone XII. tabulas explicante distaverit. Vide, vir optime, quam tecum benigne, ac liberaliter agam: quod asseris, non aegre diffitear, lubens admittam, te licet non lateat, subduriusculam fortasse rem unicuique videri posse, Gellium, qui Labeonis paginas se legisse affirmaverit, tamquam improbi, impudentisque mendacii, convictum arguere. Verum si quis in scenam prodiret, et Labeoni aetate proximior, et Labeone doctrina praestantior, qui eamdem, ac Gellius, veritatem historiae propugnaret, quis nam hodie, sublato digito, non se victum agnosceret? Prodeas vero tandem:

Felix orator quoque Maxime (1),

prodeas tandem,

Gloria Romanae Quintiliane togae (2),

his enim tui te verbis coevi Juvenalis, ac Martialis appellant. Ecce tibi, vir optime, orator ille summus, qui, ut ejus vitae auctor (3) observat, *Prima statim juventa celebrare forum, atque in summis patronorum celebrari occepit, ad eamque virtutis et ingenii commendationem repente pervenit, ut non ei solum maximae quoque caussae deferrentur, sed et notarii, qui ejus dicentis verba exciperent, vulgo a studiosis hominibus conducerentur*: ecce tibi summus ille causarum patronus, qui de corporis obaerati dissectione, naturae licet legibus parum consona, lege tamen XII. tabularum permissa, haec precise loquitur verba: *sunt quaedam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in* XII. *tabulis debitoris corpus dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit* (4).

12. Age vero, vir optime, quid his verbis clarius? quid ad rem optabilius? Num Fabium hunc reputabimus morum Romanorum, aut civilis juris ignarum, quem summum omnes caussarum agnovere patronum? qui patroni nomen adscribit nemini morum, legumque scientiam non plene callenti? Ita enim loquitur ipse (5): *Juris civilis necessaria scientia est, AC MORUM, AC RELIGIONUM REIPUBLICAE, quam capesset. Quo autem modo patronum se caussarum non falso dixerit qui, quod est in caussis potentissimum, sit ab altera*

K 2 pe-

(1) Juvenal. sat. 1. v. 190.
(2) Martial. epigr. l. 2. epigr. 90. v. 2.
(3) Angel. Politian. in Vita Quintiliani.
(4) M. Fab. Quintilian. Inſt. l. 3. c. 6.
(5) Idem inſt. l. 12. c. 3.

Digitized by Google

petiturus, pene non dissimilis sis, qui poetarum scripta pronunciant? An vero legum XII. tabularum expers Fabius, quas, tradente (1) Tullio diurna, ac nocturna manu, pueri, nondum custode remoto, pertractabant? An ita Fabius a Labeone distans, qui vel Labeonem videre potuit, vel ejus tepentia adhuc busta exosculari?

13. Scio, quid dicas, vir optime, quid mente, scriptoque pervolvas. Non ita, uti Gellium, nec uti Caecilium illum, quem tu *quemdam* nuncupas, Quintilianum accusas. Is porro, quem amas, quem foves, in sinu, et complexu tuo est; atqui ducis interpretandum. Qui vero? In tanto verborum nitore conspicillo uteris? mero meridie, ut olim uxor Trimalchionis, tenebras esse dicis? at quae tua sit interpretatio videamus. Quam non laudabilem natura obaerati corporis divisionem, Romano more ait repudiatam Quintilianus, tu a membris abstrahis, et ad operas, seu addictionem, seu temporariam illam servitutem adscribis. Age vero, vir optime. Si hanc mos Romanus *divisionem* repudiavit, quam tu ais *ad operas* pertinere, quid porro supererat? duabus legem constare partibus ferme omnes affirmant, *capitis poena, et operarum servitute*. Tu vero illam legi negas, hanc vero subtrahas necesse est, cum *divisionem* dicat Quintilianus more publico repudiatam. Quid ergo est? dimidium legi negas, dimidium aufers. Vereor, ne tibi Martialis noster ille respondeat (2)

Hoc tibi habe totum Postume dimidium.

14. Quod si Fabium nostrum, immo tuum, immo jam omnium, in hac una tamen re tanti facies, quanti et Gellium, et tuum illum *quemdam* Caecilium putas esse faciendum, ut pene omnes existimes aequandos esse nostratibus, vide, vir optime, quam largo tecum animo agam: eos et ipse contemnam, flocci faciam, quia si voles, extra portam Maeviam amandandos dicam; modo tamen mecum, vir clarissime fatearis, Romanos omnium ordinum, atque aetatum, ferme universos, a Nerone saltem ad extremos usque Antoninos, legem hanc XII. tabularum ita, uti nos accipimus, accepisse. Quis enim Fabium, quis Gellium, aut Caecilium, aut denique Tertullianum non audacissimos homines, ne dicam fatuos, reputaret, si rem ipsi, quae facti, non juris, erat, aliter, ac traditum, acceptumque esset, nulla nec diversae opinionis proposita quaestione expossuissent? Si vero mecum, vir optime, Romanos omnes rem, uti ego accipio, ita accepiſſe, verum errasse authumes, illud quaeso pendas, illud mente pervolvas, an

(1) M. T. Cic. de Leg. l. 3.

(2) Martial. epigr. l. 2. ep. 10.

an post quindecim ferme chiliades tua sit nostrae praeponenda sententiae. Ego sane vel ipsum in hac re Jovem (ut fictus ille Sosiae ajebat Sosia) (1)

Injurato scio plus crederet mihi, quam jurato tibi.

15. Verum tu etiam instas, vir optime, unam tantum inquiens XII. tabularum legem parte constare. Atqui scriptorum ordo universus duabus constasse partibus huc usque est arbitratus. *Corporis nempe sectione*, ac *servitute*. Tu contra sentis; hanc enim corporis sectionem non ad *corpus debitoris* trahis, *sed ad corpus bonorum*. Si haec autem sectio, bonorum corpus unice respicit, non debitoris, lex XII. tabularum in una parte consistit, nempe in uno debitoris nexu, in una ejus servitute, in una operarum debitoris facta creditoribus adscriptione. Sententiam hanc tuam profecto ingeniosam ita confirmas: ais nempe inter tot nexorum querelas, quae apud Livium, et Dionisium habentur, de membrorum sectione nec vola, nec verbum haberi; ergo (callide ita subjungis) nil aliud corporis sectio spectabat, quam corpus bonorum creditoribus universis opportuna sectione adscribendum. Verba vero illa Quintiliani: *Sunt quaedam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in* XII. *tabulis* *DEBITORIS CORPUS INTER CREDITORES DIVIDI LICUIT*, *quam legem mos publicus repudiavit* (2): potius quam terreant, te sane fovent, ac recreant: *corpus* enim *debitoris*, quod inter creditores *DIVIDI LICUIT*, tu non pro membris accipis, sed pro corpore bonorum, et divisione operarum creditoribus adscribenda; sicque Fabium ais recte locutum.

16. Vide quaeso vir optime, ne multae te literae, ne acris ista tua ingenii vis in decipulam quamdam immittant. Si enim *corpus, quod lege* XII. *inter creditores dividi licuit*, pro corpore bonorum censeas, non pro membris debitoris accipiendum, num tu postea *justissimam* hanc bonorum debitoris divisionem *natura dixeris illaudabilem*? Putes ne Quintilianum bonum jurisconsultum, oratorem vero maximum, divisionem bonorum debitoris, jure, meritoque creditoribus adscribendam, censuisse, *natura illaudabilem*? Si ergo *non laudabilis natura*, censore ipso, *est corporis debitoris divisio lege concessa*, in propatulo jam est, pro corpore debitoris, non *bona dividenda* (quod summa cum laude factum esset) censuisse *illaudabilia*, sed secanda dixisse *debitoris membra*: quod nedum *laudari*, sed sine naturae horrore *ferri certe non potest*.

17. At-

(1) Plaut. in Amphitr. act. 1. sc. 1.

(2) Quintil. inſtit. l. 3. c. 6.

Digitized by Google

17. Atqui tecum liberalius agam; *corpus, quod inter creditores lege dividi licuit*, pro corpore bonorum habitum a Fabio concedam; fateor usque tecum hanc bonorum divisionem, si velis, fuisse, ut ait Fabius, *natura illaudabilem, sed tamen lege concessam*. Verum si haec concedam, tu mihi concedas, oportet, *nullam* apud populum Romanum *legem, nullam circa debitores divisionem* extitisse: non sane *divisio membrorum*; quia hanc lege constitutam negas, quia id non modo non aeditum, sed nec a lege asseris cogitatum: non divisio bonorum, et operarum, quia, *si corpus debitoris* a Fabio nominatum, per te est *corpus bonorum, hanc illaudabilem corporis divisionem*, tradente Fabio, *mos publicus repudiavit*. O natos igitur fortunatissimos, te scriptore, debitores! nulla enim juxta te premebantur injuria: non membrorum divisione, tamquam legi, ut ais, *inexcogitata*: non divisione corporis bonorum, tamquam *repudiata more publico*. Igitur ganea, vel alea, vel universis denique debitores obrui poterant libidinibus: nulla poena, addictio nulla, nexus nusquam gentium. Atqui vir clarissime post XII. tabulas nexi erant, addicti erant, compediti erant. Quid ergo illud fuit, quod mos publicus, teste Fabio, repudiavit? Non compedes repudiavit, non addictionem, non servitutem; quia haec omnia usque ad annum Urbis conditae quadringentissimum vigesimum septimum more publico accepta, et servata, ac tantum a lege Petellia repudiata, qua cautum fuit, ne quis nervo, aut compedibus ob pecuniam acceptam creditori serviret, ut melius infra subjiciam. Quod conceptissimis igitur verbis Petelliae legis abrogari opus fuit, id moribus antea acceptum, servatumque, dicamus, oportet. Si ergo servitus, compedes, addictio, plura per secula XII. tabulis fuere superstites, *illaudabilis illa corporis debitoris divisio*, teste Fabio a lege concessa et more publico repudiata, est unice *in membrorum sectione* (te, licet invito, tamen fatente) collocanda.

18. Audio te ita reponentem. Quid est igitur, quod inter tot nexorum querelas a Dionisio, ac Livio recensitas, de membrorum sectione nec vola, nec verbum? Instantiae huic tuae videbimus infra occurrisse Gravinam (1) dicentem: *Metu poenae neminem plus aeris contraxisse, quam suae substantiae tolerarent; proindeque neminem in eam poenam incurrisse*. Ego vero addam, nullam accidisse debitorum *Transtiberinam venditionem*: et re quidem vera (tuo argumento utor) inter tot querelas nexorum, quae apud Livium, ac Dioni-

(1) Gravina de Jure Nat. & Gen. p. 344.

nisium leguntur, non magis ulla de hujusmodi *Transtiberina venditione*, quam *de capitis supplicio* occurrit. Addicti enim, nexique omnes, servitutem, et servitutis incommoda, cruciatus, tormenta, vincula, carnificinam, increpant, arguunt, inclamitant, nusquam autem de *uls Tiberina venditione* conqueruntur. Ergo Transtiberina venditio non erat lege concessa? Ergo mendax decemviralis lex, dum ait: *uls Tiberim venundato*? Mendax Gellius, qui Antoninorum temporibus ex Ulpia exscripsit? Mendacissimus vero Flaviorum aevo Quintilianus, qui vel Labeonem in XII. tabulas scribentem audire potuit? Nos autem immensa post secula veracissimi, qui an decemviri fuerint ignoraremus, nisi veteres tradidissent? Ignoscat mihi genius tuus, si sequar ego mendaces.

19. At reponit secundo argumento vir clarissimus, si hanc sensu nostro legem accipiamus, permagna Romanos inuri labe saevitiae, nec minore nota crudelitatis leges illas XII. tabularum tota fronte suffundi, quas omnes irriguum aequi bonique fontem fatentur. Non iſtud sane vir optime inficior, a XII. tabulis, a Quiritium legibus non levia scatent crudelitatis indicia, quae, nisi civitatis, humanitatis saltem jura contaminant. An parum, quaeso, tibi videtur a ratione juris naturae, ab humanitate, a pietate abhorrere jus illud vitae, necisque, illam exponendi, vendendi, abdicandi, mancipandique potestatem patribus familias a XII. tabulis omnino (1) attributam? Non te sane latet, vir optime, tirannicam eam a Simplicio appellatam (2) in ipsismet Persis a Peripateticorum principe reprobatam (3), immanem vero, ac plane dispoticam a duobus illis melioris notae viris Binchersoekio quidem tuo, meo autem Vinnio repertam (4). Quid, quod recentiora ipsamet jura Quiritium XII. tabulas crudelitatis arguunt, atque saevitiae? Ita enim ait humanior jurisconsultus (5): *Necare videtur non tantum; is, qui partum perfocat, sed et is, qui abjicit, et qui alimonia denegat, et is, qui publicis locis exponit, ea misericordiae causa, quam ipse non habet*. Horum autem alio loco (6) rationem divus Hadrianus assignat, inquiens, *quia patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere*.

20. At quid de filiis loquar? Immanem hanc, foedamque omni ex parte feritatem, leges tuas, in servos damnandam, omnino exercuisse contendam. Quid enim crudelius dari, aut excogitari um-

(1) Vinnius Instit. ad l. 1. tit. de Patr. potest. ad §. 2.
(2) Simplic. ad Epitect. Enchirid. c. 37.
(3) Arist. ad Nicomach. c. 12.
(4) Binchersoek de jure occidendi liberos c. 1. Vinnius loc. cit.
(5) Leg. 4. ff. de liberis agnoscendis.
(6) Leg. 3. ff. ad leg. Pompeii de sicariis.

umquam valet, quam quadrupedes, qui pecudum numero sunt, servis hominibus, ut ait Cajus (1) jurisconsultus, omnino exaequatos? Quid natura illaudabilius, quam hominem hominis lubitu uri, vinciri, verberari, ferroque necari? Quid porro inhumanius, quam homines, vel una voluptatis causa, bestiis objici discerpendos? Tu vero justas hasce, vir optime, leges dices? hoc tu, ut immanitate debitorum legem eximas, jus necis in filios (quid filios dicam! vox enim faucibus haeret) tu has aequas in servos fuisse leges, tu humanas esse fatebere? Si haec affirmas, tu ita syllaturis, ut incertus non sim, Phalarim ne, an Pisistratum, sis hodie imitaturus.

21. Contrarium vero suadent, vir clarissime, tanta ista tua morum suavitas, tantus ingenii lepos, tanta universis literarum disciplinis lenitas comparata, ut feroces Quiritium leges, ut decemviralem illam potestatem Licurgo crudeliorem, atque, ut ait (2) Tacitus *biennio assumptam*, nedum fateri, sed et mecum damnare videaris.

22. Feritas vero illa, ac sane agrestis vetustiorum Quiritium natura dominata est, quousque Quirites mollioribus imbuti sunt Graecorum disciplinis, ut ad rem feliciter ille audax Horatius observavit, dum dixit (3),

Graecia capta suum victorem caepit, et artes
Intulit agresti Latio:

quam ob rem asperi, durique Romanorum mores mitigari paulatim caeperunt Graecorum condimentis, a quibus, cum bonas literas accepissent, ad laudandam sunt morum mansuetudinem revocati (4). Hinc servos necare Barbarorum reputatum; filios vero interficere pene sacrilegum (5): hinc ad felicia illa ventum est Trajani, ac Caesarum tempora Antoninorum, quibus uberes pueris, puellisque alimentariis (6) collatae sunt fruges, ut nemo tunc juris humani videretur oblitus: tunc sane illa XII. tabularum Decemviralis atrocitas, quae subagrestes vetustiorum Quiritium latebat oculos, apparuit, reprobata, correcta est: tunc profecto Tertullianus consensu publico XII. tabularum crudelitatem erasam esse perhibuit (7): tunc denique Fabius Quintilianus quaedam non laudabilia natura, a XII. tabulis concessa legit, confessus est, reprobavit (8).

23. Ve-

(1) Leg. 2. ff. ad leg. Aquiliam.
(2) Tacit. annal. l. 1. in princ.
(3) In epist. ad Pisones.
(4) Vinnius loc. cit.
(5) Leg. unica Cod. de Servor. emendat.
(6) Ex famosis tab. Placentinis.
(7) In Apologetico.
(8) Instit. l. 3. c. 6.

23. Verum magnus inter Collegas vir hanc sustinere a nobis confutatam contendit partem : potestatemque , a XII. tabulis patribus attributam , tamquam justam tuetur ; atque ita ab omni penitus atrocitate Romanos absolvit . Ast ille (liceat mihi Luciani verbis uti) acris ita est ingenii , ut sibi (1) non defensio , sed ostendendae orationis petita esse occasio videatur : ignoscat igitur , si me facit debito prolixiorem . Unus mihi sane in hac re Grotius erit satis (2) , qui auctoritate Sexti (3) Empirici tyrannicam arguit patriam in filios potestatem atroci lege concessam .

24. Neque dicat vir summus leges Romanas hanc potestatem in patribus pati potius , quam tribuere ; nam verba legum Romanarum , ita perspicua sunt , ut nemo atrocitatem non videat , ea Gellio sic referente : *Utique ei vitae , necisque potestas fiet , UTI PARIENDO FILIO EST* (4) : quae magis verba lubitum valent merum ostendere ?

25. Idem ipse Binchersoekius , primus fortasse , aut secundus adversarii nostri antesignanus , veterum adhuc legum atrocitatem nequit inficiari , illamque vetustiorum morum , atque agrestium crudelitatem declinare non potuit , dum fassus est in haec verba : *Rigorem juris veteris videntur primum subegisse mores , deinde leges , quo magis exculta sunt humanitatis , et mansuetudinis studia , quo plus operae datum est philosophiae morali , eo magis omnis severitas remisit . Atque HAEC UNA RATIO EST REMISSAE SEVERITATIS , non ea , quod majestas patria non satis conveniret majestati principum* (5). Gerardus autem Noodt , in amica ad Binchersoekium responsione, non sane severam (6) , sed foedam , atque impiam fuisse ait Romanorum consuetudinem .

26. Foedam hanc autem impietatem idem ille populus Romanus Neronis usque aevo agnovit , iudicavit , suisque punivit manibus ; hisque idem verbis testatur Seneca : *Erixonem equitem Romanum memoria nostra , quia filium suum flagellis occiderat , populus in foro graphiis confodit* (7) .

27. Quare jus vitae , necisque , pro lubitu , circa Hadriani tempora omnino cessasse docent nedum Gothofredus (8) , verum etiam Papinianus , dum ait : *Divus Trajanus , filium quem pater male contra pietatem afficiebat, coegit emancipare* (9).

L 28. Enim

(1) Lucian. in orat. pro laps. inter. Salutan. t. I. p. 739.
(2) De jur.belli, et pacis. l. 2. c 5.§.7 n.3.
(3) Sext. Emp. Pyrronicar. hypot. lib. 3. c. 24 §. 211. aedit. Fabricii .
(4) Noct. Atticar. l. 5. c. 19.
(5) De jure occidendi liberos c. 4.
(6) §. 2.
(7) L. Annaeus Seneca l. 7. de Clementia cap. 14.
(8) Ad leg. 2. sub tit. de liber. caus. Cod. Theod.
(9) In leg. ult. ff. Si a parent. quis manumis .

28. Enim vero legum Romanarum rigor neque sub mitissimis Antoninis omnino conquievit; erat enim id servatum Caesaribus sacro fonte renatis. Quare Quirites Paganos increpans optimo jure Lactantius (1) haec ait: *non enim de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut, si NIMIUM PII FUERINT exponant*; quod et Justinus, et Minucius Felix, et Arnobius una voce confirmant (2).

29. Idem Lactantius pro voluptate habitam Quiritium saevitiam aureo sic notat penicillo: *Quid enim* (ait) *tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo severissimis legibus vita nostra munitur, ideo bella execrabilia sunt. Inventa tamen consuetudo est, quatenus homicidium sine bello, ac sine legibus faciant, et hoc sit voluptas* (3). Qui ergo tam immanem XII. tabularum lege concessam patribus potestatem, qui tam atroces Quiritium consuetudines sustinet, tuetur, absolvit, is (ut modo ajebam) potius ostentandae orationis, quam tuendae veritatis occaſionem arripuisse dicendus est.

30. Causa esset omnino perorata, ni ex verbis legis XII. tabularum perpendenda quaedam superessent, tertiumque foret diluendum adversarii nostri argumentum. Mitto hic, vir clarissime, quae ex Collegis alter juxta crassioris grammaticae regulas pedestri sermone adnotavit in illud legis verbum: *Secanto*: quod uni tibi, et Binchersoekio post hominum memoriam, ad *operarum divisionem* (4) placuit detorquere. Verum quae de *verbo illo* non jurisconsultus, sed cucullatus collega conticuit noster, jurisconsultus ipse praeterire non possum. Quaero itaque abs te primum, num potius *secandas* operas diceres, quam *dividundas*, *distribuendas*, *erciscundas*? Ego sane familiae erciscundae, communis dividundi leges pervolvi, secandarum vero operarum nec vola, nec verbum (5): Stycum servum Cajo, et Sejo, legatum audivi; servi autem hujus communis, vel praetii soluta aestimatione, partem condomino adscribi, vel operas ipsas (6) communis dividundi judicio venire monitus fui: uno verbo erciscundam familiam, communia dividunda legi, secandam familiam, communia secanda nunquam legi. Secare autem actio est, quae ferris exercetur, ut ait Paulus jurisconsultus (7): inde discrimen inter eum, qui *caedit*, et qui *secat* jurisconſul-

(1) Lact. Firm. divin. inst. l. 5. c. 9.
(2) Justin. Mart. in sua Apolog. 2. pro Christianis (Minuc. Fel. in Octavio c. 30. Arnob. contra Gentes l. 8.
(3) Lact. Firm. in Epitom. c. 6.
(4) Binchersoek. de poena capitis, et debitorum sectione ex XII. Tab. cap. 1. l. 1.
(5) In tit. ff. Famil. ercisc. et commun. dividun.
(6) Leg. 18. et leg. 25. ff. commun. dividun.
(7) In leg. 5. ff. arborum furtim caesarum.

Digitized by Google

sulti notant, inter quos, non obscuri certe nominis Cujacius (1), et Gothofredus. Num operae tuae vir clarissime *ferro secantur?*

31. Verum advertas, quaeso, quantam, cum ista tua secandarum operarum assertione in XII. tabulas, quae brevitate praecipue fulgent, superfluitatem inducas. Si enim, ante *sectionem debitoris* lege permissam, erat addictio; si debitores anterius creditoribus addictos esse fateris, quid aliud creditoribus *addici* sibi vult, quam sub eorum servitute quadam esse? esse vero in creditorum servitute idem esse, ac operas communis dividundi judicio erga varios creditores aequa lance distribuendas esse quis nescit? Quid ergo alia ulla operarum distribuendarum mentione opus erat? Quid illis opus verbis *partes secanto*, si addictio ipsa hanc erga plures operarum aequa lance distribuendarum divisionem sonabat, praeseferebat? Diversum ergo aliquid, longeque diversum, posterior illa a lege sectio permissa sonabat, capitalem nempe (creditoribus non contentis debitoris servitute) jacturam, quae post servitutem una superesset.

32. Neque vero capitali hac jactura, membrorumque sectione permissa, summum ita crudelitatis apicem legem contigisse arbitramur, ut omnem penitus tollat lenitatis imaginem. Si enim, ut Gothofredus (2) intelligit, partes, *modo creditores tamen vellent*, secarentur, *si volet*, *partes secanto*: tunc sane illud summum videtur lex atrocitatis remittere, cum hominis, non vero leonis, arbitrio hominis vitam committat. Dum igitur, post attributam creditori debitoris servitutem, secandum lex usque corpus debitoris, *si creditor tamen volet*, non abnuat, id mihi porro lex illa videtur dixisse: *Si ferox ita sit creditor, si hac debitoris servitute, si tanta non sit hominis miseria contentus, si VOLET, si potis erit, si non erubescet, corpus debitoris in partes usque secet, et partiatur*: agnovit sane lex XII. tabularum immane quantum a pietate, ab humanitate, a philandropia, humanorum distaret sectio membrorum: terrorem ergo atrocibus, immanibus verbis, obaeratis incussit; atque illud: *Si volet*, addidit; quia neminem tanta fore atrocitate praesumpsit, qui omnem pietatis imaginem abdicare, qui pudorem omnem, ruboremque deponere, qui denique juris humani oblivisci omnino voluisset: agnovit quod ait Quintilianus, haec *non laudabilia esse natura*, verum atrox adhuc illud atque terrificum permisit in obaeratos excidium, quod humanitas, quod pudor, quod *mos publicus refugeret*, *corrigeret*, *repudiaret*. Quam ob rem ita quisque creditorum ab hoc e-

L 2 xer-

(1) Cujacius 9. observ. 12. Gothofredus in d. leg. 5. ff. arbor. furt. caesar. in litera u.

(2) Dionis. Gothofredus in leg. 1. ff. de cessione bonorum in principio.

xercendo in corpus debitoris abhorruit arbitrio, ut nemo sectionem expostulaverit, ut factam nullam ab aedita lege sectionem audiamus. Potius igitur ad obaeratos deterrendos (ut melius infra subjiciam) quam ad creditorem saevitiam excitandam, atrocia verba illa dixerim a lege prolata.

33. Quod si, vir clarissime, verbum illud: *si volet*: ad operarum sectionem referamus, verbum hoc hyeme Gallica frigidius agnosces. Quid enim illis verbis opus est, si exclusa obaerati morte, ac discissione, nil aliud sane, quam obaerati opera superesset? *Vellet, nolletque*, una tunc servi debitoris opera creditor contentus esse debebat; ubi ergo illud: *si volet*: locum decenter habere arbitremur?

34. Video tamen quid tibi lubeat reponere. Tu illud: *si volet*: post permissam corporis sectionem positum esse contendis, atque ita legis: *Tertiis nundinis partes secanto: si plus, minusve secuerit, sine fraude esto; si volet, uls Tiberim venumdato* (1). Tu, vir clarissime, communiori sane lectione uteris, et lepidiuscula criminatione nos urges: ita enim arguis; si lex, post concessam membrorum sectionem, in arbitrium confert creditoris debitorem uls Tiberim venumdare, quid aliud id est, quam hominem, post fauces laqueo illisas, ad remum mittere? De operis ergo legem inde locuta esse contendis. Enim vero si tanta, quanta vis, antinomia lex, ita lecta, laboraret, ut ex inde monstrum informe nosceretur, vel id satis esset, cur lectionem tu potius nostram acciperes, quam ego tuam; ita enim jurisconsultorum vel ipsa elementa nos docent. At tua sit legis verior lectio: quid inde? Nullum aderit monstrum, nullum legis vitium, nulla antinomia. Non enim objectus inde a te sensus resultat, quasi dissectum jam corpus uls Tiberim venum eat; nam illud: *si volet, uls Tiberim venumdato*: eumdem semper, sanissimumque continet sensum, nimirum: *Tertiis nundinis partes secanto; si plus, minusve secuerit, sine fraude esto: si volet* (nempe, si volet non secare) *uls Tiberim venumdato*: quid his verbis clarius? quid profecto nitidius? Ut enim interpretes tradunt sane universi, propositionem hanc lex habet unice disjunctivam, nimirum: *aut partes secanto, aut uls Tiberim venumdato*: Idem igitur omnino est, ac si lex ita pronunciasset: *Si volent creditores debitoris membra non secare, si a tanta volent immanitate abstinere, debitorem uls Tiberim venum dent, vel pretio ejusdem, vel operis, communis dividundi actione, inter creditores distributis*.

35. Unum

(1) Verba leg. XII. tabul. a Gellio relata loco sup. cit.

35. Unum superest, vir clarissime, in quo tibi etiam libuit lepide ludere: verba legis haec sunt: *partes secanto; si plus minusve secuerit, sine fraude esto*. Tu, si ad membrorum sectionem id refero, cachinnis effusissimis ilia rumpis, nihilque ineptius dici posse pronuncias; quare illud *plus, minusve sectionis* ad operas refers. Ego vero si ad operas refero nec ab ira fortasse tempero. Si enim ad operas referam, quid indignius, quid hac lege injustius excogitari valebit? *Non erit fraudi* creditori, *si plus minusve secuerit*? Poterit ergo creditor sibi *plus, minusve; pro lubitu* operas obaerati dividere? adsignare? non aequa lance distributas arripere? Quid si quatuor, aut plures, iique inaequales creditores fuerint? Quid si eorum unusquisque operarum obaerati plus, minusve secuerit, sibique adscribi pro arbitrio voluerit, id ne sine fraude erit? Hanc tu, vir clarissime, legem appellas? hoc tu jus, non injuriam, dicis? Ego vero deliramenta, quae non sani esse hominis non sanus juret Orestes. Credis ne pedibus in tuam unus, aut alter, sententiam ibit? ego sane in alia omnia.

36. Age vero, vir optime, ac membrorum sectionem finge parumper, non operarum a lege permissam; et vide quaeso quanta cum ratione terrifica illa in obaeratos verba lex nostra protulerit *partes secanto; si plus, minusve secuerit, sine fraude esto*: creditori lex igitur debitoris necem permittit, crudelior, remissior, ne sit caedes illata, non curat; uno, an ternis, an centenis pereat debitor ictibus, an diris, minutisve membrorum caesuris, id ne creditori fraudi sit nostra lex cavet. At inquies: quid id referebat? Ego vero summae id necessitatis fuisse profitear. Nisi enim lex id fraudi non esse cavisset, quis alterum Busiridem, aut Phalarim, aut Dionysium, aut potius immo Caligulam, eum creditorem non reputasset, qui debitorem suum, capitis poena plectendum, non uno breviter gladio conficeret, sed, ut ait (1) Svetonius, *crebris, et minutis ictibus ita plecteret, ut se tamdem debitor mori sentiret*? Quis tantam tam saevo creditori crudelitatem ignosceret? Quis recta hunc ad crucem non raperet? Quis non acerbioribus suppliciis dignissimum judicaret? Ut igitur maximum, salutaremque una simul debitori lex metum injiceret, eam usque immanem praebuit creditori facultatem, ut ei, ne fraudi esset, si plus, minusve secaret, verbis conceptissimis esse duceret exprimendum.

37. Et re quidem vera si verba haec legis, adeo terrifica, ea majori, qua decet, sedulitate perpendamus, in illam fas erit veni-

(1) Sveton. in Caligul. c. 29.

Digitized by Google

nire sententiam, eo clementiorem fuisse legem, quo acriorem, eo mitiorem poenam, quo atrociorem. Id primum ipse idem suadet Gellius dum ait (1): *Tertiis nundinis capitis poenas dabant, AUT Transtiberim PEREGRE venum ibant; sed eam capitis poenam sanciendae, ut dixi, fidei gratia horrificam ATROCITATIS OSTENTU, novisque terroribus metuendam reddiderunt.*

38. Tria hic momenta notamus. Primum in disjunctiva illa *aut* ponimus, per quam nostra in §. 33. exposita belle sententia roboratur. Secundum in ipsa met *Transtiberina venditione* consistit; crudelior enim caeteris erat ista venditio, quippequae, ut ait Turnebus (2), extra fines eum, qui venditus esset, amandaret, ne in agro Romano serviret; cum Transtiberina regio extra agrum Romanum esset, et in eo agri genere, qui peregrinus diceretur, jamque attribueretur Etruriae: cum quo concordat Donatus (3). Tertium est in *atrocitatis ostentu* collocatum: haec enim atrocitas, novis reddita metuenda terroribus, illa apprime est, quae delinquendi consilium aufert; et merito quo atrocior eo mitior fuisse videatur.

39. Quod quidem evidentius constabit, si eamdem Romanis legislatoribus in aliis quoque legibus pateat fuisse mentem, idem omnino consilium, ut, severiori poena proposita, delinquentium animos ita perstringerent, ut inviolata disciplina maneret. Presto est Polibius (4), qui adversus invigiles in nocturnis custodiis hanc ait his verbis poenam, legemque servatam: *Tribunus fustem capit eoque condemnatum quasi attingit solum, quo facto omnes legionarii qua fustibus, qua saxis inibi intra castra, ut plurimum quidem, sontem necant: sed, et si quis evaserit, non tamen salvi propterea sunt. Nam quae illis salus, quibus in patriam quidem redire non licet, quos nemo ausit tecto recipere? Quamobrem qui semel in eam calamitatem inciderunt, planissime pereunt. Quare cum adeo vehementer, et sine spe veniae delicta haec puniantur, DISCIPLINA NOCTURNARUM EXCUBIARUM INOFFENSO FOENORE SERVATUR.*

40. Quid, quod ex ipsismet XII. tabulis falso testi *saxum proponebatur*, ut ne falsum ullum adesset testimonium: hoc ipsum ut membrorum sectionem, tamquam in speciem terroris indictam, excuset, ipse idem Gellius insinuat, dum (5) ad Phavorinum haec ait: *An putas Phavorine, si nunc quoque, ut antea ex* XII. *tabulis qui falsum testimonium dixisse convictus esset e saxo Tarpejo dejiceretur, mentitu-*

(1) Noct. Attic. l. 20. c. 1.
(2) Turneb. in adversar. l. 24. c. 43.
(3) Donat. de Urbe Roma l. 1. c.6. p.19.
(4) Polib. historiar. l. 6. p. 481.
(5) Gellius noct. Attic. l. 20. c. 1.

tituros fuisse tam multos, quam videmus? ACERBITAS PLERUMQUE SUPPLICII BENE, ATQUE CAUTE VIVENDI DISCIPLINA EST.

41. Optime igitur optimus philosophus aeque, ac jurisconsultus, Vincentius Gravina (1), cui favent nostri duo lumina prima senatus, Hoctomannus, inquam, et Cujacius (2) in haec verba concludit: *At si pluribus creditoribus teneretur, tunc crudele* IN SPECIEM *exemplum in eum erat constitutum:* IN SPECIEM, INQUAM; NAM REVERA NIL MITIUS EA POENA, QUAE TERRORE SUO DELINQUENDI CONSILIUM AUFERT, *ut hujus legis exitus demonstravit; numquam enim, ea vigente, quisquam in hanc poenam incurrit; quia, metu poenae, nemo plus aeris* (3) *contrahebat quam suae substantiae tolerarent*: acerbitas igitur pestis hujus ulciscendae melioris inducendae fidei disciplina erat.

42. Verum mollioribus Romanorum temporibus, ut et falsis testibus, ita et decoctoribus poena mitior evenit, quam tabulae XII. indixissent; et sectio membrorum in bonorum sectionem fuit commutata: quin immo nomen hoc SECTIO, quod membris, non bonis aptatur a membris mutuatum est, ac derivatum in bona: quod quidem ocultatissimus omnium inspexit (4) Cujacius, hisque notavit verbis: QUAMOBREM *proscriptio illa, distractioque bonorum debitoris, quae fit ex edicto,* APPELLATUR SECTIO; AC SIC, UT IN XII. TABULIS SECARETUR CORPUS DEBITORIS IN PARTES SECANTUR TANTUM BONA *ex edicto, et fama debitoris laborat;* ET PROPTEREA HAEC PROSCRIPTIO MORTI COMPARATUR. *Lex* XII. *tabularum voluit decoctoris* SANGUINEM EFFUNDI; *at praetor maluit* SANGUINEM SUFFUNDI, QUAM EFFUNDI; *idest irrogare infamiam*, INIICERE PUDOREM PUBLICE DISTRACTIS BONIS.

43. Quid vero aliud sane Tertulliani verba sonent, quam magni sonent verba Cujacii? *In* PUDORIS NOTAM (5) ait ille, *capitalis poena conversa est, bonorum adhibita* PROSCRIPTIONE: hic vero (6): *Praetorem*, ait, *maluisse suffundi sanguinem, quam effundi, idest irrogare infamiam*, INIICERE PUDOREM PUBLICE DISTRACTIS BONIS.

44. Age vero, vir optime, et advertas, quaeso, quid sibi ista velit poenae commutatio? Quid naturalis mortis in civilem facta

(1) De jur. Nat. et Gent. et XII. tab.
(2) Hottomann. in XII. Tab. Cujac. in leg. 24. ff. de donation.
(3) Gravin. loc. cit. p. 344.
(4) Jacob. Cujacius ad tit. 71. codicis Qui bonis cedere possint tomo nono.
(5) In Apologetico c. 4.
(6) Cujac. loc. cit.

ta conversio ? Nihil aliud certe aptius demonstrat commutatae anterioris poenae existentiam , quam posterior poenae facta conversio . *Suffusus* est enim postea sanguis , qui antea *effundebatur*; *rubor cruori* successit, *infamia caedi*, *naturali civilis* mors, *sectioni* denique *corporis sectio bonorum* ; *et PROPTEREA* (ait Cujacius) *HAEC* (1) *PROSCRIPTIO MORTI COMPARATUR*: si ergo *ideo* morti comparatur , *quia* morti successit: si bonorum sectio a membrorum sectione *nomen accipit*: si *civili* mors *naturalis*: si *infamiae caedes*: si *rubori cruor* locum dedit; ergo, et *caedem* , et *cruorem* , et *mortem* , et *membrorum sectionem* adfuisse certo certius habendum est .

45. Causa nunc omni ex parte perorata , non injucundum arbitror, Sodales, exponere quid, post hanc XII. tabularum legem Romanis moribus repudiatam, circa obaeratos juris fuerit; ut fere nihil ad rem desiderandum supersit . De nundinis autem , de dierum praefixione, de nexis, et addictis clarissimus noster adversarius ita summa cum veritate disseruit , ut , si quid addam , actum agere videar. Id igitur primo ex XII. tabulis juris obtinuit (2) ut debitores, qui solvendo non essent, vincierentur, in carcerem conjicerentur (quod quidem postremum de Cornelio Scipione legimus apud (3) Valerium) necterentur , addicerentur, capitis denique (quod repudiatum diximus) poenam darent , permissamque foret creditoribus , si tamen vellent, partiri corpus addicti; quam etiam legis partem mos publicus repudiavit (4) Itaque consensu populi universi haec crudelitas erasa est, et in pudoris notam conversa fuit bonorum adhibita proscriptione (5) . In sola igitur servitute lex illa mansit, servorum operibus , communis dividundi actione inter creditores distributis.

46. Anno Urbis conditae 427. lex Petellia lata , ne quis nervo, aut compedibus, ob pecuniam acceptam creditori serviret, ut ait (6) Livius. Deinde Cajo Popilio rogante , dictatore Lucio Sylla , constitutum fuit, ut , qui bonorum copiam ejuraret (hoc est qui juraret se in bonis non habere) nexus ne esset (7) : quam legem , pene oblitam , lex Julia revocavit (8) , cessionis bonorum beneficio introducto.

47. Lege igitur Julia beneficium cesssionis bonorum obtinuit, solis quidem antea Quiritibus concessum , atque inde ad provincias

(1) Cujac. loc. cit.
(2) Dionis. Gothofred. in tit. 3. lib. 42. Digest. de cessione bonorum .
(3) Valer. Max. l. 1. c. 1.
(4) Quint. l. 3. c. 6.
(5) Tertull. in suo Apolog. c. 4.
(6) Liv. lib. 8.
(7) Varro de ling. lat. l. 6.
(8) Leg. 1. et 4. Cod. Qui bon. ced. poss.

cias propagatum, ut codex Theodosianus nos edocet, atque Alciatus (1). Sed clarius omnino ex Justinianeo codice id patet ubi haec (2) habentur: *Legis Juliae de bonis cedendis beneficium constitutionibus divorum nostrorum parentum ad provincias porrectum, ut cessio bonorum admittatur, notum est: non tamen creditoribus sua auctoritate dividere haec bona, et jure dominii detinere, sed venditionis remedio, quatenus substantia patitur, indemnitati suae consulere permissum est*. Indemnitati ergo debitoris, ut carceres vitaret (antiquo legum rigore sublato) solemni bonorum cessione consultum erat: *solemni* inquam; symbolo nempe illo a veteribus adhibito: *zonam solvi*: de quo (3) Horatius, ac Gellius, et recentius Petrus Gregorius.

48. Cessionem decoctio comitabatur; multum autem a decoctione bonorum cessio distabat: qui bonis cedebat, is alieno aere premebatur, fortunae vitio, non suo. Quam ob rem bonis cedentem nulla notari infamia (4) rescripsere Severus, et Antoninus per haec quidem verba: *Debitores, qui bonis cesserint, licet ex ea causa bona eorum venierint, infames non sunt*. Verum, licet infamia minime notarentur, adhuc tamen, post emissam bonorum cessionem, decoctorum vocabulo cum veris decoctoribus (licet improprie) confundebantur, nec certis fruebantnr, quibus caeteri cives, privilegiis: bonis quippe cedentes, qui, vitio licet non suo, decoxissent Lucius Roscius Otho equestribus quatuordecim interdixit ordinibus: veros autem decoctores, qui ganea, vel alea, vel luxu rem obsumpsissent, toto theatro abstinere jussit: quo spectat Tullii locus Antonium ita perstringentis (5): *Tenes ne memoria te praetextatum decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est: concedo; illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quatuordecim, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis, fortunae vitio, non suo, decoxisset*: eodemque respicit Juvenalis, dum ait (6).

. . . . . *De pulvino surgat equestri,*
Cui res legi non sufficit.

Caeterum qui non suo vitio, sed casu, ad incitas forent redacti, non carcerem sane, non vincula, non verbera patiebantur, sed cum primum bonorum copiam ejurassent, idest cum propriam inopiam, non proprio vitio, sibi evenisse probavissent, carcere, omnique corporis cruciatu liberabantur, ut optime ad rem notarunt Hottomaunus, et Gothofredus (7). M 49. At

(1) Sub tit. qui Bonis cedere possint, Codicis Theodosiani. Alciat. Parerg. 2. l. 2.
(2) Leg. 4. Cod. qui bon. ceder. poss.
(3) Horat. ep. 2. Gellius l. 15. cap. 12. Petr. Greg. Sintagm. c. 8. & 12.
(4) Leg. 11. Cod. Ex quibus causis infamia irrogetur.
(5) Philippica 2. c. 18.
(6) Sat. 3. v. 153.
(7) Hottoman. illuſtr. in fin. Gothofr. in Novella 135. tit. 18. lit. L.

Digitized by Google

49. At qui vitio suo decoxissent, sicuti, referente (1) Laertio, ex Solonis lege apud Graecos, ita jure Quiritium apud Romanos notabantur (2) infamia: praeterea carcere, vinculis, et verberibus plectebantur: Hadriani vero aevo, ut tradit (3) Spartianus: *Caesar decoctores catomidiari in amphitheatro jussit*, hoc est, sub collo inter scapulas verberibus affecit.

50. Tandem qui omnem obaerati infamiam, sive poenam effugere voluisset, licet de nexis, et addictis, decemviralis sublata lex esset, adhuc tamen voluntaria quadam addictione juvabatur: liber enim homo pro pecunia, quam debuisset, voluntarias operas dare poterat suas, et in quamdam, voluntariam pariter, addici servitutem, usque dum solveret (4). Verum ob aes alienum *coacte* ingenuum, servire eo temporis leges non patiebantur; ita enim ait (5) Imperator: *Ob aes alienum servire liberos creditoribus jura COMPELLI non patiuntur*.

51. Quae cum ita sint, sola bonorum ejuratione, cessione, proscriptione, sola hac providentissima sanctione, primum fateamur oportet, legis XII. tabularum sublatam omnino esse servitutis acerbitatem: humanitate vero antea duce, ac philandropia, jamdiu membrorum proscriptam esse dissectionem: hanc autem, ad operas trahi non posse vel illud suadere, quod et a jurisconsultorum libris, et a jurisconsultis abhorret universis: tandem illam legis crudelitatem non fuisse a XII. tabulis imperatam, sed concessam; concessam vero illis verbis: *si volet*: ad obaeratos potius deterrendos, quam ad creditorum saevitiam excitandam, a lege prolatis.

52. Haec sunt, Princeps optime, Sodalesque omnes, quae ad tuendam jurisconsultorum famam exscripsi, meorum charitate ad id impellente. Si quid ommisi, aut commisi, quaeso ignoscite, aut veniam date. Tertio nonas Junias 1775.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DIS-

(1) Laert. l. 1. c. 55.
(2) Gothofred. in d. Novella lit. I.
(3) Spartianus in Vit. Hadr. c. 18.
(4) Varro de ling. lat. lib. 6. c. 5.
(5) Leg. 12, Cod. de obligat. & action.

DISSERTATIO IV.

In A. Gellij cap. XII. lib. I.

De Veſta, et Veſtalibus.

Antequam de Vesta, et Vestalibus, Collegae optimi, verba faciam, quaedam animadversione non indigna, quae in hoc Gellii nostri capite occurrunt, adnotabo. De Labeone primum Antistio loquitur Gellius noster, jurisconsultorum facile principe. Attei Capitonis coevus fuit is, atque adversarius: Capitonem Labeo juris scientia anteivit, at non dignitate, nec gratia, ob nimiam nempe libertatem invisus Augusto, qui ut ait (1) Tacitus: *Capitoni conſulatum acceleraverat, ut Labeonem Antiſtium iisdem artibus praecellentem dignatione ejus magiſtratus anteiret*: Petronius, qui scripsit, ut senserat, de Labeone (2), ita loquitur.

Atque eſto quidquid Servius, et Labeo.

Verum, sequiorum temporum iniquitate, scriptores, Augustis, qui τα παντα erant, morem gerentes, auream Labeonis Antistii libertatem atris nominibus decolorarunt; quippe quam Horatius (3) insaniam, Svetonius (4) contumaciam, Gellius (5) vecordiam appellavit.

2. Patrimos, et matrimos Gellius noster intelligit, quibus uterque parens erat superstes, ut ait (6) Festus; quod boni erat ominis apud Romanos. Quare cum arcem Capitolii Vitellaniarum partium scelere incensam voluisset Vespasianus a fundamentis reficere, cum primum poneret lapidem: *Ingreſſi milites, quibus fausta nomina* (7) *cum pueris, puellisque patrimis, matrimisque*: fausta hic obiter noto, fuisse nomina: Salvius, Felix, Fortunatus, Faustus, Constans, Statorius et similia; infausta vero: Furius, Minutius, Curtius, Hostilius, et alia hujusmodi (8).

3. Vetustissimus autem est ritus, et in sacris ipsis veteris Testamenti libris praescriptus, quem hic Gellius noster indigitat, ut lingua debiles, surdi, aut alia corporis labe affecti, sacerdotio ar-

(1) Annal. l. 2.
(2) Petron. Arbitr. in Satir.
(3) Horat. Sat.
(4) Sveton. in Auguſto.
(5) Gell. c. 12. l. 1.
(6) Feſtus de die Natali.
(7) Tacit. hiſt. l. 4. p. 206.
(8) Lips. ad Tacit. et in Electis.

cerentur; nam in Levitico legimus (1). *Homo, qui de semine tuo habuerit maculam, non offeres panes Deo suo; nec accedet ad ministerium ejus, si caecus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus: omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo*. Plutarchus (2) nobis testatur, augurem, si ulcere afficeretur, ab augurio abstinuisse capiendo. Ad sacra enim puri puti, et integri debebant accedere: ulcus autem diminutio quaedam, aut saltem corporis pollutio est.

4. Emancipatio, de qua agit in hoc capite Gellius, jurisconsultis nota est universis, et sicuti quamdam manumissionis imaginem praeseferebat, ideo servilem aliquam sapere videbatur conditionem. Pejor abdicatorum status erat, qui nempe gravem propter causam domo a patre pellebantur.

5. Quae sint vero sordida negotia, de quibus loquitur Gellius, docet nos (3) optime Tullius, qui haec habet: *Illiberales, et sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis: sordidi etiam putandi qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant carius; nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: opificesque omnes in sordida arte versantur; neque vero quidquam ingenuum potest habere officina: minimeque artes probandae quae ministrae sunt voluptatum, lanii, coqui, sartores, piscatores; adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totum denique ludum talarium*.

6. Flamen, a filo laneo, quo apex flaminis cingebatur, pileoque sacerdotali erat nexum: urgente aestate solo filo caput flamines cingebant. Lex Flaminica haec est: *Sine apice sub Deivo esse nec fas est*. Flaminea hinc dicuntur velamenta (4).

7. Augures autem dictos ab avium garritu satis constat; inspiciendorum voluminum Sibillinorum ipsis potestas erat. Septem viri Epulonum Jovi, caeterisque diis solemnes epulas indicebant, quas ut notat (5) Dio Cassius, primo pontifices, inde triumviri, tandem septemviri Epulonum indixere. Salii a saltu, et saliendo dicti (6),

Jam dederat Saliis a saltu nomina dicta,
Armaque, et ad certos verba canenda modos.

A Nu-

(1) Levitic. c. 21.
(2) Plutarc. Problem. 72.
(3) M. Tull. de offic. c. 150. p. 492.
(4) Vid. Scaliger. in Fest.
(5) Dio Cassius l. 45.
(6) Ovid. Fastor. 3.

A Numa duodecim patricio ex ordine instituti, tunicis amicti versicoloribus, aeneisque succincti balteis, ut in palatio sacra (1) curarent. Tandem tibicen sacrorum aderat, de quo Gruterus (2)

TUBICINES ROMANI
QUI SACRIS PUBLICIS PRAESTO SUNT:

Sacram hi agebant musicam, quam testatur Censorinus fuisse non mediocriter (3) divis acceptam, dum ait: *Nisi musica grata esset diis immortalibus, tibicen omnibus supplicationibus in sacris aedibus non adhiberentur*: hinc anaglipha omnia, quae sacrificia intuentibus exhibent, numquam sacrorum tubicine (4) carent, quem sacerdotis nomine honoratum vetus habet (5) inscriptio:

SACERDOTE TIBICINE ALBIO VERINO.

8. Notatu dignum Gellii nostri ordinem puto, qui primo hic diales nominat flamines (idest Jovis ministerio adscriptos) inde pontifices, tertio augures. Quare bene me acturum existimo, si sacerdotum omnium velut aciem, suis contentam ordinibus, accurate disponam. Sciant igitur, qui me audiunt, Romae patriis sacris maximum praefuisse pontificem, quindecim pontifices, quindecim viros sacris faciundis, augures quindecim, multos haruspices, curiones triginta, curionemque ex iis maximum, quindecim quoque deorum flamines variorum, Dialem nempe, Martialem, Quirinalem, Volcanalem, Carmentalem, Floralem, Palatealem, Falacrum, Furinalem, Vulturnalem, Virbialem, Pomonalem, Lucularem, Laurentalem, et Lavinalem, de quibus postremis inscriptus haec habet lapis:

P. AELIO P. F. PAPIRIO MARCELLO
CENT. FLAMINI
LUCULARI LAURENT. LAVINAL.

His addendos censeo nostras, de quibus peculiariter mox agemus, Vestales, Panis item Lupercos, Graecam Cereris sacerdotem, Martis Salios, Potitios Herculis, ac Pinarios, sodales Tatii, sodales Augustales, et fratres itidem Arvales, qui publica, ne frugum copia deesset, vota faciebant. His tandem accedunt religiosi matris magnae Ideae capillati, et Hierocetyx deae sanctae matris Ideae, Fanatici Bellonae, Parasiti Synodi Apollinis, pontifex sacrarius Junonis Quiritis, Archibucolus dei Liberi, Hierophantes Hecatae, decuria sacerdotum Bidentalium ad expianda fulmina, duces

(1) T. Liv. & Dionis. Alicarnas. in hist.
(2) Gruter. inscript. p. 2? 9.
(3) Censorinus de die Natali.
(4) Choul. Relig. Rom. passim.
(5) Apud Pitisc. in Lex. Verb. Tibicen.

ces mistici Taurobolis sacri, Linteones Apollinis, Fictores pontificum, filii sacrorum, patres alicujus dei, sacrati alicui deo, prophetae heroum ornatores, pupae et famulae Bacchi a cymbalis, et alii, de quibus sparsim agunt Romanarum rerum antiquarum scriptores (1).

9. Tandem ad Gellium rediens pro coronide adverto invitorum parentum filias sortiri, offerentium capi, ut Vestae inservirent. Parentes quippe non libenter filias dabant; ut proinde Augustus adjuraverit (2) se neptes, si aetas competeret, fuisse oblaturum.

10. Visis jam quae tradidit Gellius, dum de Vestalium egit collegio, rem vobis gratam Collegis optimis me puto facturum, si, quae de Vesta, et Vestalibus apud veteres reperi rei Romanae scriptores, largius exponam.

11. De Vesta haec tradit (3) Ovidius; eam nempe ex Saturno, et Ope gnatam, Cereris, ac Junonis extitisse sororem.

Ex Ope Junonem memorant Creremque creatam
Semine Saturni; tertia Vesta fuit.

Mystica haec sunt, quaeque sequuntur. Coelo enim mythologi uxorem adscribunt Terram: ex his omnia nata: Vestam itaque Terram interpretantur, et cum Cerere, quae et ipsa Terra est confundunt; cum hoc tamen discrimine: Ceres enim Terra illa est, quae frugifera, quae humus dicitur; Vesta vero, quae globus, quae Terra universa, de qua haec Ovidius (4)

Stat vi Terra sua; vi stando, Vesta vocatur,

alii a Terra distinguunt, et ignem esse volunt; haecque communior opinio, atque ipsimet maximo acceptior mythologicorum scriptori, dum dicit (5)

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

cui libenti quidem calamo adstipulantur Lipsius, Spanhemius, Graevius, atque Panvinius (6).

12. Culta primitus apud Ilium Vesta, et ex Ilio ab Aenea in Latium invecta, ajente ita (7) Virgilio:

Sic ait, et manibus vittas, Vestamque potentem,
Aeternumque aditis effert penetralibus ignem.

Verum qualis divae imago fuerit, quale simulacrum, non ita primo tam facile dixerim. Sic enim inter se video pugnare scriptores, ut

---

(1) Gruter in suis Inscript. passim., et melius auctor libri, cui titulus Antiquitates sacrae, et civiles Romanorum explicatae p. 32.
(2) Sveton. in August.
(3) Ovid. Fastor. 6 v. 215.
(4) Fastor. 6. v. 299.
(5) Ovid. Fast. 2. v. 291.
(6) Lips. de Vest., et Vestal. c. 1. Span., et Pryt. Graec. Thes. Ant. Rom. Grev. t. 5. p. 689. Panvin de Civ. Rom. cap. 29.
(7) Aeneid. 11. v. 295.

ut mythologiae ignaris quoddam quasi monstrum efforment. Nullum quippe Naso Vestam habuisse simulacrum audacter affirmat his versibus (1):

Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
Mox didici curvo nulla subesse tholo:

quod et testatur Pausanias, qui haec (2) ait: *Progredientibus in Vestae, simulacrum nullum occurrit: ara tantum, et in ea Vestae sacrificant:* nec injuria; si enim Vesta ignis est, nulla hunc praeditum patet effigie, quare hanc eamdem Naso subjicit causam (3):

Ignis inextinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Vesta, nec ignis habet.

13. Ut ut haec tamen sese habeant nummi sane non desunt, nec marmora, quae expreſſa Vestae ostendunt simulacra. Plerique ex nummis sedentem divae imaginem exhibent, sinistra facem, libatoriam pateram dextra gestantem. Nummus Vespasiani argenteus stantem Vestam repraesentat simpulum, hastamque tractantem: in argenteo item divae Juliae Piae, Augusti Septimii uxoris, dextera Palladium sustinet Vesta, hastile sinistra; et iterum in aereo Vespasiani sedens Vesta manibus pateram, hastamque tenet (4). Praeterea simulacrum Vestae Puteolis inventum tradit Capaccius (5) mulieris habitu, infantemque gremio gestantis: denique nummi adsunt, in quibus legitur: *Vestae matri*: quod Virgiliano illi cohaeret (6) emistichio:

. . . . *Vestaque mater.*

14. Mei erit muneris pugnam dirimere, paucisque dissidium diluam. Si Vestam igitur communiori vocabulo ignem accipimus (cum nulla hic, ut Naso ait, polleat effigie, cumque nihil ex eo nasci possit) hoc utique sensu Vesta non certe mater, sed virgo est, atque iconoclastes; quare optime Lactantius haec (7) habet: *Idcirco enim virginem putant Vestam, quia ignis inviolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo*: qua etiam ratione ductus Naso rem ita concludit (8):

Jure igitur virgo est, quae semina nulla remittit,
Nec capit; et comites virginitatis habet.

15. Enim vero si Vestam pro Terra usurpemus, bene vocatur mater, optimoque jure rerum omnium, quae ex ea gignuntur, parens aguoscitur; sicque cum Cerere pene confunditur, eidemque tym-

(1) Ovid. Fastor. loc. cit. v. 295.
(2) Pausan. Chorint. p. 77.
(3) Ovid. ib. v. 297.
(4) Choul. Religion. de Rom. p. 179.
(5) De reb. Neapolit. l. 1. p. 244.
(6) Georgicor. 1. v. 499.
(7) Instit. divinar. l. 1. p. 72.
(8) Ovid. ib. v. 293.

tym panum aeque, ac Cereri, aptatur: *Terrae effigiem*, ait (1) Suidas, *mulierem format Vestem, tamquam Terram, tympanum praeferentem, quoniam ventos intra se concludit*: jure igitur Vesta, et mulier, et virgo est, si Terram, ignemque uno in hoc numine diversa ratione spectemus.

16. Templum habuit Vesta inter Capitolium, et Palatium (ut cultioris observant (2) notae homines) eoque proprie loco assurgebat, ubi nunc sanctae Mariae Liberatricis aedicula visitur: nullo vero parietum, sed columnarum subsidio, in rotundam formam erigebatur, qualem exhibent Neronis, Vespasiani, ac Faustinae nummi, optime omnium vero maximi moduli numisma Lucillae, in quo conventus Vestalium universus exprimitur(3) Quare Tholum recte Naso appellavit; tectum nempe, non parietibus, sed columnis innixum, quod, altius crescens, in fastigiatum desinebat cacumen, et cum nummorum effigie perbelle concordat (4).

17. A templo ad sacrificia transeuntes advertimus celeberrima fuisse virginum vota, et sacra, diu, noctuque Vestae porrecta; unde Seneca (5): *Quid porro? non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari*? Divam Vestales farre placabant, et vino; solemniori vero sacrificio vitulos Vestalis maxima concremabat (6):

Cum farre, ac vino, Vestam, Janumque rogabant:
Igne cremat vitulos, quae natu maxima virgo est:

Homines denique in publicis epulis universi, primam, postremamque dicabant Vestae libationem, ut his tradit Homerus verbis: *Ut ibi primae et ultimae Vestae incipiens libet suave vinum* (7).

18. A Vesta ad Vestales veniamus. Rheam Silviam Romuli matrem, perpetuae ab Amulio continentiae addictam, primam tradit (8) Livius fuisse Vestalem. Verum Numa Vestalium quatuor collegium instituit, earumque eligendarum jus regibus (9) adsignavit: *Primas a Numa sacratas* (sunt Plutarchi (10) verba) *Geganiam, et Vereniam perhibent, inde Canulejam, et Tarpejam*: his geminas Tarquinius addidit (11) Priscus, haec ajente Dionisio: *Sacris virginibus a quibus inextinctus servatur ignis cum quatuor essent, duas Priscus adlegit alias; cum enim plura jam a civitate peragerentur sacrificia, quibus opus erat interesse Vestales virgines, non videbantur quatuor sufficere: hoc insti-*

(1) Suidas.
(2) Aleand. donat. Roma Vetus p. 147. 218. 275. Adrian. Polit. sopra Tacit. in fin. p. 343.
(3) Choel. Relig. Rom. p. 190.
(4) Samuel Pitisc. verbo Thol
(5) L. Seneca de Provid. c. 5.
(6) Juvenal. sat. 6.
(7) Homer. in Vest. et Mercur.
(8) T. Liv. l. 3.
(9) Dionis. Alicarn. l. 2. p. 127.
(10) Plutarc. in Vita Numae p. 127.
(11) Dionis. Alicarnas. l. 3. p. 199.

ſtitutum Tarquinii ſecuti ſunt reges caeteri, et usque ad hanc noſtram aetatem ſex deſignantur miniſtrae Veſtales.

18. De ſenario hoc numero verba facit et Feſtus (1), dum tradit: *Ut populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtrum ſacrorum; quia civitas Romana in ſex eſt diſtributa partes*: Cur ergo Fauſtinae nummus ſeptem exhibet virgines? Cur Gallus auctor, ejusdemque Lucillae nummi relator vicenas usque (2) Veſtales aſſignat? Cur Gallo Politus (3) adſtipulatur? Brevibus me expediam. Gallus auctor, ac Politus errant, quia male, ut inferius dicam, Gellium noſtrum intelligunt; nummus Fauſtinae non errat. Sex erant Veſtales, ſeptem, ſi maximam addas, ut plures tradunt (4), inter quos haec habentur Ambroſii verba, cujus aevo finem habuere Veſtales: *Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellae: en totus numerus, quem infulae vittati capitis, purpuratarum veſtium murices, pompa lecticae, miniſtrorum circumfuſa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, praeſcripta denique pudicitiae tempora coegerunt:*

19. Pulſis regibus pontifex maximus in jus regale ſucceſſit, non libera tamen electione, ſed ſuis adſtrica legibus, Papia ſcilicet quae vetabat, ut vidimus, ne debiles, mutilae, ſervilis conditionis, et ſimiles in Veſtalium collegium admitterentur.

20. Ex viginti itaque puellarum ſortitione id agebatur, ut ſors nempe levius patres tangeret ſic ſparſa per plures; et hinc male Gellium intelligunt, qui ad vicenarium usque numerum Veſtales authumant perveniſſe. Virgines autem e populo (5) capiebantur, a patriciis nempe, ac plebeiis, verum ingenuis. Dio tamen Caſſius ait captas e libertinis, hoc eſt ex patre liberti filio: *Quoniam haud prompte ii, qui plane nobiles erant, filias ſuas ad Veſtale ſacerdotium darent, lege ſtatutum eſt, etiam a libertinis natas (6) poſſe capi:* quam ſane parentum aegrimoniam etiam Svetonius per haec (7) verba teſtatur: *Ambirentque multi, ne filias in ſortem darent.*

21. Cum ergo offerrentur, ſortitio ommittebatur. Optime ad rem (8) Tacitus: *Pontifex maximus retulit capiendam virginem in locum Occiae, quae ſeptem et quinquaginta per annos ſumma ſanctimonia Veſtalibus ſacris praeſederat; egitque grates Fontejo Agrippae, et Domitio Pollioni, quod, offerendo filias, de officio in rem publicam certarent: et praelatam Pollionis filiam non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem* con-

(1) Feſtus in Sext.
(2) Choul. Relig. Rom. p. 190.
(3) Adriano Politi in Tacit. p. 343.
(4) Levin Torrent. in Sveton. August. cap. 100. S. Ambros. contra Relat. Simmachi.
(5) Gellius l. 1. c. 12.
(6) Dio Caſſius l. 55. p. 563.
(7) Sveton. in August. c. 31.
(8) Tacit. Annal. l. 2.

conjugio maneret: uxor igitur Pollionis univira; univiratus autem et apud Romanos in honore habitus: id nobis Tertullianus egregie testatur a Lipsio (1) relatus: *In quibusdam solemnibus, et auspiciis prior est univirae locus: certe Flaminia non nisi univira est*.

22. Virgines autem eas esse praestabat; quia cum diu, noctuque sacris invigilare deberent, maritalibus eas curis solutas esse oportebat; quare ait (2) Cicero: *Vestae colendae virgines praesunt, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis*: facilius vero dixit, quia exemptae a viro, a sobole, a cura familiari. Quid? quod virgo erat Vesta, atque a nuptialibus, nedum a nuptiis abhorrebat; ideoque sponsae ductae limen Vestae non tangebant, ne res Vestae calcarent. Virgo igitur virgines amabat comites, unde merito dixit Naso (3):

Virgo est, et comites virginitatis amat.

23. Statim ac initiarentur, initiatarum capillus virginum detondebatur, et ad arborem Lothon, inter faustos receptum (4) devectus, humo de hinc obruebatur: a quo ritu apud nostras sanctimoniales foeminas comae tondendae morem eruditissimus Gallus asserit (5) derivatum, quam vere, alii judicent. Nos vero meminisse eorum juvat, quae de hoc comae tondendae more superiori (6) oratione adnotavimus; hinc sane nostra mirum in modum confirmatur sententia; et clarius patet a sacris, ab initiatione, a mysteriis, fere numquam detonsionem aliquam abfuisse.

24. Vestales ita captae atque initiatae, in atrium Vestae deducebantur, de ritibus, et ceremoniis a senioribus instruendae. Omnes autem in tres erant discentium, exercentium, docentium classes distributae: *Tempus tricennale, ait Dionisius, manere eas oportet castas, et a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes: quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere* (7).

25. Itaque trigesimo septimo aetatis anno fas virum quaerere; et quandoque nubebant, ita (8) ajente Prudentio:

Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore.

Dionisius tamen observatum refert nupsisse paucissimas, idque parum laeto, ac prospero (9) eventu. Ante id tempus nubere nefas omnino; ac proinde Symmacus, cum pontificatu fungeretur, sic (10) ad Vestalem scribit: *Diceris ante annos, legibus definitos, vesta-*

(1) Just. Lips. ad Tacit. Annal. l. 2.
(2) M. Tull. de leg. l. 2. c. 12.
(3) Ovid. loc. cit. sup. c. 293.
(4) Plin. l. 15. c. 44.
(5) Choul Relig. Rom. p. 153.
(6) Dissert. 3., et 4. l. 1.
(7) Dionis. Alicarn. l. 2. p. 127.
(8) Prudent. contra Relat. Simmac.
(9) Dionis. Alicarn. l. 2.
(10) Simmac. l. 9. ep. 99.

stali secreto velle decedere. Nondum credo rumori, sed assertionem tuae vocis expecto.

26. Vestalis maxima dicebatur, quae omnibus praeerat, quaeque ita colebatur: ut Julius Caesar, legum licet pene omnium contemptor: *Testamentum* (1) *virgini Vestali maximae demandaverit*. Perbellam maximae Vestalis antistitis inscriptionem habemus, quam hic referre (2) operae praetium duximus

CLAUDIAE AELIAE CLAUDIANAE V. V. MAXIMAE
RELIGIOSISSIMAE BENIGNISSIMAEQUE
CUJUS RITUS ET PLENAM SACRORUM ERGA DEOS ADMINISTRATIONEM
URBIS ETERNAE LAUDIBUS S. S. COMPROBATA
OCTAVIA HONORATA V. V.
DIVINIS ADMONITICNIBUS SEMPER PROVECTA.

27. Trina erant munia Vestalium: vigilare, adservare, sacrificare. Vigilia ad ignem spectat alendum, ac reparandum: *Virgines* (3) *Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum:* hic autem ignis, non in lampade aliqua, ut quidam putant, suspensus, nec oleo, aut simili materia enutritus, sed lignis ardebat substratis: *Ex frigido cinere* (inquit (4) Dionisius) *multa per carbasum emicuit flamma*: vasis autem fictilibus continebatur sequiori usque aevo Maximi (5) ita dicentis: *Eternae Vestae focos fictilibus etiamnum vasis contentos*. Extincto autem igne, servili virgines castigatione plectebantur, nempe flagris quae poena (6) erat servilis: *Ignis in aede Vestae*, ait (7) Livius *est extinctus, caesaque flagro Vestalis*: tunc vero novum ignem instaurari, parari, elicique a Sole oportebat, prout per haec nobis verba Plutarchus (8) indigitat: *Vasculis, quae parantur ex latere trigone rectanguli, ut radii Solis in centrum cogantur, fomenta levissima opponunt, quae facillime per reflexionem accensum ignem concipiunt*.

28. Singulis annis solemni ritu novus ignis instaurabatur: *Prima die Martii*, ait (9) Macrobius, *ignem novum Vestae aris solent accendere; ut, incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet*: et Julianus Augustus: *novam, et aeternam ecce flammam de Sole conceptam, sacrae apud nos virgines* (10) *servant*. Aliquam inter hunc, et perpetuum ab Hebraeis asservatum ignem, notat Gallus auctor (11) analogiam: aliquam videre quis posset in annali nostra illa ignis re-

N 2 no-

(1) Sveton. in Jul. Caes.
(2) Choul. Relig. Rom. p. 182.
(3) M. Tull. de leg. l. 2. c. 8.
(4) Dionis. Alicarn. l. 2. p. 28.
(5) Valer. Max. 4. 45. 11.
(6) Dissert. 6. supr. in hoc l. 1.
(7) Tit. Liv. l. 28.
(8) Plutarc. in Vit. Numae.
(9) Macrob. Saturn. l. 1. c. 12.
(10) Julian. orat. 4. p. 155.
(11) Choul. Relig. Rom. p. 182.

novatione, quam Paschalibus solemnibus celebramus. Verum, ut nihil dicam de discrimine quod ex intima ritus natura ducitur, Hebraei, ut et nos, in cereis, ac lampadibus ignem fovemus: contra Vestales substratis lignis, fomentis que levissimis, flammam a Sole mutuabantur, quamquam et in aliquibus ecclesiis olim novus ignis collectis crystallo Solis radiis accendi consueverit.

29. Diximus de primo Vestalium munere, nempe vigilia: at non vigilare tantum, sed asservare secundum erat munus Vestalium virginum, quippe quibus arcanum erat traditum pignus imperii. Quare ait (1) Livius: *Vestae aedem petitam, et aeternos ignes, et conditum in penetrali fatale imperii pignus*: et Ovidius (2):

Vidimus Illiacae transferri pignora Vestae.

Quidam, ultra pignus Ilio advectum, alia credidere condita in Vestalium aede mysteria. Ita enim scribit (3) Dionisius: *Sunt qui asserunt praeter ignem, arcana, et multitudini non efferenda, in Deae templo esse deposita, quorum pontifices notitiam habebant, itemque ipsae virgines; alii servari sacrorum partem, e Samothracia; alii coelo-delapsum Palladium*. Tacitus de incendio Neroniano verba faciens (4) credit fuisse penates; Livius adservatum putat Palladium (5) cui favet Lucanus (6) dum scribit:

. . . . . . *Nullique aspecta virorum*
Pallas in abstruso pignus memorabile templo.

30. Munus virginum Vestalium tertium erat sacrificare, de quo dictum est supra. Ne igitur actum agam haec tantum fas erit adjicere: armatam nempe dici virginem sacrificantem, cui erat gladius in dextera, et rejecta post humerum togae lacinia, ut Festus observat in verbo *suffibulum*. Quid autem hoc proprie fuerit, idem per haec docet (7) verba: *Suffibulum est vestimentum album, praetextum quadrangulum; oblongum, quod in capite virgines Vestales, cum sacrificant, semper habere solent, idque fibula comprehenditur*: hoc vestimenti genus in Faustinae, ac Lucillae nummis egregie (8) exhibetur, et a pluribus exornatur cultioris notae scriptoribus (9).

31. A muniis Vestalium virginum ad honores descendamus: Vivo igitur patre virgines testabantur a patria omnino solutae potestate (10). Item juris trium liberorum privilegio pollebant, non a Nu-

(1) T. Liv. l. 26. c. 27.
(2) Ovid. Fastor. 6. v. 365.
(3) Dionis. Alicarn. l. 2. p. 126.
(4) T. Liv. loc. cit.
(5) Com. Tacit. in Annal.
(6) Lucan. Pharsal. l. 3. v. 994.
(7) Festus in verbo Suffibulum.
(8) Choul. Relig. Rom. p. 180. Mus. Musellian. in Faustin. et Lucill.
(9) Ferrar. de re vestiar. c. 46. Guter. de vet. Jur. Pont. l. 2. c. 29. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 564.
(10) Plutarc. in Vit. Numae p. 66.

a Numa (ut male Plutarchus (1); non enim hoc jus adhuc extabat, sed ut bene advertit Dio (2) ab Augusto concesso. Decus additum (3) et tutela lictoris. Tantus vero erat erga virgines Vestales cultus, ut Livius (4) narret Albinum, cum in Vestalem peditem incidisset, statim curru desiluisse, ut Vestalis ascenderet. Non immerito igitur (5) ait Seneca: *Tibi magistratus fasces submittunt, tibi consules, praetoresque via cedunt; numquid exigua mercede virgo es?* Inde est, quod testamentum fuerit Augusti (6) apud Vestales depositum: hinc solis Vestalibus locus in theatro sepositus, et contra praetoris (7) tribunal adsignatus: hinc per virgines Vestales (8) veniam reis impetratam: hinc fratrem quandoque Vestalis (9) *injussu populi triumphantem usque in Capitolium prosecuta est ne vetare, aut interdicere, fas cuiquam tribunorum esset*: hinc suasit tandem senatui Vitellius (10) ut *legatos cum virginibus Vestalibus mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum petituros*; sed licet obviam Vestales fuere virgines, Tacitus (11) testatur eas fuisse cum honore dimissas.

32. Quo sane loco notatu puto dignissimum, tanto majorem militum reverentiam meruisse Vestales, quanto viliori ludibrio tradunt historici philosophos, dignioris etiam notae fuisse affectos, inter quos maxime florebat Musonius Rufus a scriptoribus Flavianorum temporum pene in coelum (12) elatus: *Miscuerat se legatis* (ait (13) Tacitus *Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae, et placita Stoicorum aemulatus, plerisque ludibrio, pluribus tedio; nec deerant qui propellerent, proculcarentque, ni ommisisset intempestivam sapientiam*.

33. Idem Tacitus dum de instaurando a Flavianis loquitur Capitolio, haec ait: *Ingressi* (14) *milites, quibus fausta nomina, et virgines Vestales*: et alio loco ait (15), quoties Augusta theatrum intraret, sedes inter Vestalium consedisse; utque Agrippinae fastum insectaretur haec scripsit (16): *Agrippina carpento Capitolium ingredi: qui mos sacerdotibus et sacris virginibus concessus*; contra vero dum veniam tentaret, velletque Messalina a Claudio impetrare: *Vibidiam* (17) *virginum Vestalium vetustissimam oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Narcissus Vibidiam depellere nequivit.*

34. His

(1) Plutarc. Ibid.
(2) Dio Cass. l. 56.
(3) J. Lips. Elector. 1. 23.
(4) T. Liv. l. 5. dec. 1.
(5) L. Senec. contror. 6. 8.
(6) Svet. in Aug. c. 100.
(7) Idem ib. c. 44.
(8) Idem in Jul. c. 1. Levin. Torrent. in Sveton. ib.
(9) Id. in Tiber. c. 2.
(10) Id. in Vitell. c. 16.
(11) Tacit. hist. l. 3.
(12) Philostrat. in Vit. Apollonii, et alii.
(13) Hist. l. 3.
(14) Hist. .. p. 206.
(15) Annal. 4. p. 51.
(16) Annal. l. 12.
(17) Annal. l. 11.

Digitized by Google

34. His denique aliis erant Vestales virgines donatae privilegiis, quod, si reo, ad supplicium ituro, factae essent obviae, is poena liberaretur; jurare tamen (1) virgo debebat a casu, non a consilio, fuisse occursum. Item praetor debita erga Vestales reverentia ita edicebat: *De edicto praetoris perpetuo virginem Vestalem in omni jurisdictione mea* (2) *jurare non cogam*: morte item plectebantur, qui lecticam, aut sellam, qua Vestales veherent, subirent (3), de superbo quarum vehiculo, haec notat Prudentius (4)

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento residens molli
. . . . *sedet illa verendis*
Vittarum insignis phaleris
. . . . *cingunt*
Tempora Theniolis, et Licia crinibus addunt.

Stipendium tandem de publico trahebant, ut large in sua relatione (5) Symmacus; commoda vero, et dignitatem virginum, praecipue auxit (6) Augustus. Nec Tiberius illiberalior; quippe qui, teste (7) Tacito: *Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur H-S. vicies dedit*, hoc est aurea quindecim millia. Haec erant virginitatis praemia, non levi sane mercede conductae.

35. A praemiis aequum est ad poenas corruptae virginitatis descendere. Vetus lex est: *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur; vir, qui eam incestavisset verberibns necaretur* (8). Vestalem itaque stupro corruptam, specu subterraneo oblongo excavato, atque ibi lectulo composito, mensa cibo referta, adpositaque lucerna, deducentes multi vivam includebant, remeaculo prorsus obstructo (9); unde optime Juvenalis (10);

Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

36. Legis rigor ad postrema usque Vestalium tempora perduravit: Symmachiano enim aevo, quo fuere a Theodosio seniore sublatae, haec maxima poena vigebat, teste ipsomet Symmaco, qui haec (11) scripsit: *More, institutoque majorum incestum Primigeniae, dudum apud Albam Vestalis antistitis, collegii nostri disquisitio deprehendit. Restat, ut in eos, qui ceremonias publicas abominando scelere polluerunt, legum severitas exeratur; et ideo dignaberis, reipublicae utilitatem, legesque considerans, facinus cunctis ad hunc usque diem saeculis se-*

(1) Plutarc. in Numa.
(2) Gell. noct. Attic. l. 10. c. 15.
(3) Sam. Pitisc. verbo, Vestales.
(4) Prudent. in Simmac. v. 1093. et seq.
(5) Simmac. Relat. circ. fin.
(6) Sveton. in Aug. c. 13.
(7) Tacit. Annal. l. 6. c. 16.
(8) Apud Festum.
(9) Zonar. in hist. Dion. Alic. l. 2.
(10) Juvenal. sat. 4. v. 10.
(11) Simmac. l. 9. ep. 118.

severissime vindicatum, competenter ulcisci: et de Maximo, virginis corruptore, sequenti idem epistola haec habet (1): *Ut in Primigeniam, quae publicarum ceremoniarum maculavit arcana, corruptoremque ejus Maximum, qui quidem flagitium non negavit, severitas super his adhibita exeratur. Dignaberis igitur, consideratis confessionibus, qui nefandi tragoediam prodiderunt, injuriam castissimi saeculi reorum suppliciis vindicare*: in qua sane re illud notandum censeo, ad aevum usque Symmachianum hujus criminis disquisitionem ad collegium pertinuisse pontificum; idque a Christianis permissum Augustis, ut observavit Juretus (2).

37. Symmacchiano saeculo virgines hae, fatente ipsomet Symmaco, a veteri disciplina visae sunt aberasse. Praetextato enim Agorio statuam (3) censuere locandam. *Praetextato nostro*, ait Symmacus, *monumentum statuae dicare destinant virgines sacri Vestalis antistites. Consulti pontifices, priusquam reverentiam sublimis sacerdotii, aut longae aetatis usum, vel conditionem temporis praesentis expenderet, absque paucis, qui me secuti sunt, ut ejus auspicium statuerent adnuerunt. Ego, qui adverterem neque honestati virginum talia in viros obsequia convenire, neque more fieri, quod Numa auctor, Metellus conservator religionum, omnesque pontifices maximi numquam antea meruerunt, haec quidem silui, ne sacrorum aemulis enunciata noxam crearent. Inusitatum censentibus exemplum modo vitandum esse rescripsi; ne res, justo orta principio, brevi, ad indignos per ambitum deveniret*: haec igitur eo laxiorem quamdam ostendunt virginum disciplinam, quo de Symmachi in Praetextatum invidia nefas sit dubitare; quippe qui, defuncto vix Agorio, statuam ei a sacris locandam principibus procuraverit (4).

38. Finem habuere Vestales decimo, ac septimo Theodosii senioris anno, de quibus haec (5) Zosimus: *Theodosius major, eversa Eugenii tyrannide, Romam venit, et contemptum religionis in animis omnium excitavit, publicum sumptum ultra dare ad sacrificia abnuens. Pellebantur utriusque sexus sacerdotes; et fana, sacrificiis abolitis, deserta relinquebantur*: cum quo sane plerique (6) consonant melioris notae scriptores.

39. Ita finem habuere Vestales, de quibus, ne vestra videar abuti benignitate, pauca haec dixisse sufficiat. Idibus Jun. 1775.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DIS-

(1) Ibid. ep. 119.
(2) Juret. ad Simmac. in ep. 119. l. 9.
(3) Simmac. l. 2. ep. 36.
(4) Simmac. l. 10. ep. 25.
(5) Zosim. In hist. c. 34.
(6) Iust. Lips. de Vesta, et Vestal. c. 14. Brisson. de Adult. p. 151. Grater. de Vet. jur. Pontif. l. 11. c. 2.

DISSERTATIO V.

In qua queritur quid proprie sint Moechae Bustuariae.

Credo ego vos nimium, Collegae, mirari quid sit, quod post habitam de Vesta, et Vestalibus, anteacto collegio, orationem, eum hodie sermonem instituam, quem ne Lampsaci quidem ferri publice posse vestrum quispiam fortasse arbitretur. De Moechis enim acturus, iisque praesertim Bustuariis, ea quidem agere videor, quae nec res inter serias nominari fas esse quis putet. Verum non ignoscentes tantum spero me vos habiturum auditores, sed et benevolos, si finem potius spectetis, quo meus tendit sermo, quam spurcam illam, et invenustam viam, quam hodie nostra declinare nequit oratio. Equidem de Moechis dum loquor, iisque praesertim Bustuariis, is mihi scopus est sane propositus, ut nedum quemdam clarissimorum hominum errorem detegam, quem humana parum cavit incuria, verum etiam corrigam, germanumque sensum pandam una, et restituam. Nihil autem prohibet, quin bonos et nos imitemur medicos, qui vel ex herbis persaepe graveolentibus, et quandoque etiam venenatis, utilia conficiunt pharmaca. Itaque vos ego auditores, quippe quos cultioris notae viros agnosco, postquam aliquandiu per scrupos asperos, et saxorum eminentium fragmenta traxero, in eam hodie viam adducam, ubi veritas, admixta nitori, doctorum hominum animos certa quadam jucunditate permulcet.

2. Cum meum ego Plautum, immo vestrum, immo jam omnium, assidua in dies manu, ac lectione versaverim, licet varia, ac plurima nostris meretricularum nomina objecta sint oculis, Bustuarias Moechas nusquam gentium a me reperisse fateor; idemque apud Terentium, caeterosque occurrit morum Romanorum scriptores, qui Bustuarias non agnovere gallinas. Unum excipio Martialis locum eas exhibentem, ut non levem nobis Plauti nostri silentium stuporem attulerit; nec tralaticiam nobis dederit causam, cur filo quodam velut indice, veram Moechae Bustuariae indolem, detecto aliorum errore, assequeremur.

3. Non ingratam interim me vobis rem esse facturum puto, si varia illa scortillarum, et meretricularum, quae servavit anti-

qui-

quitas, referam nomina: non enim haec a proposito nobis scopo aberrabunt. Has igitur meretriculas prosedas, reliquias alicarias, servilicolas, sordidas, diobolares, vel diabolarias, miraculas, strateas, strativolas, scrupedas, bliteas, luteas, scheno delibutas, sive schenicolas, limaces, gallinas, lupas, lividas, nonarias, prostibulas, sellarias, ignes, uxores, puellas denique dictas invenio.

4. Prosedas quidem, ac reliquias alicarias a sedendo pro foribus, ab errando circa pistrina, in quibus alica conficeretur, ubi a vilioribus premerentur alicae confectoribus, quae potionis vilius erat genus ex spelta, vino, pomisque compositum; de quo Martialis, ut vilitatem exprimeret ait (1):

Nos alicam, poterit dives tibi mittere mulsum.

Inde igitur istas Plautus noster appellat (2),

Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias.

5. A lupanari lupae dictae; sellariae vero a sella, et sessibulo; a stando ante stabulum appellatae postribulae, meretricibus longe inonhestiores, unde Plautus (3):

. . . . *quae tibi olant stabulum*
Statumque, et sellam, et sessibulum merum;

et alio loco (4):

Ibo ad bonam meretricem: adstat ea in via
Sola: prostribula sane est.

6. Servilicolae dicebantur, quia suos, ut ait (5) Petronius *amplexus mittebant in crucem*; item bliteae, luteae, ac schenicolae, seu scheno delibutae, hoc est, unguento, vino confecto (6):

Blitea, et lutea est meretrix, nisi quae sapit in vino ad rem suam.

Bliteae vero, luteae, limaces, ac lividae, nedum ob cretatam ita faciem, ut parietem nimbo laborare dixisses, verum ob maciem, qua suffundebantur, limi colori quam similem. Miraculae tandem quasi monstra, et diobolares, quia binis cuique vel obulis obsequerentur; unde Plautus (7):

Non quasi, ut hae sunt hic, limaces, lividae
Diobolares, schenicolae, miraculae.

Et alibi (8),

Monstrum mulieris! tanta verba funditat,
Cujus ego vel nebulae cyato septem noctes non emam.

O 7. Gal-

(1) Martial. in Xeniis.
(2) Plaut. Paenul. act. 1. sc. 2. v. 54.
(3) Plaut. ib. act. 1. sc. 2.
(4) Plaut. in Cistellar.
(5) Petron. in Sat. de Criside, et Polieno.
(6) Plaut. Trucul. act. 4. sc. 4. v. 1.
(7) Plaut. Clitellar.
(8) Plaut. in Paenul.

7. Gallinae dictae, quia gallo semper, et ubique pronae, vel quia pedibus omnia, quasi gallinae, spargerent; ignis vero, quia, ut hic ligna, sic homines scorta consumant: de quibus haec Plautus (1) in Pseudolo:

Habent quoque gallinae manum;

et Terentius in Eunucho (2):

Accede ad ignem huc.

Strateae vero, strativolae, ac scrupedae, quia in angiportis, atque semitulis, iisque sane scruposis, et asperis; unde lucem ille accipit Petronii locus in satyra, ubi haec (3) leguntur: *Cum hora pene tota per omnes scrupos, saxorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes*: quod verbum *scrupos* alii *scruptos*, *scriptos* alii inepte reddidere.

8. Nonariae etiam dicebantur, quia hora coenae adveniente prostabant, ut vel quandoque coenantibus inservirent. Quare nona Tullius hora Citeridem in triclinio sociam, atque accumbentem, non e consilio, sed casu invenit: hasque meretrices fuiſſe potius authumo, quam prostribulas; nam illae a merendo dictae paucis inserviebant, unicuique prostibulae morem in triviis gerebant, atque angiportis, ut proinde Lesbiam illam Catulli nostri, factam ex meretrice prostibulam, hi versus arguunt (4):

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus, quam se, atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis, et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

9. Puellas tandem dictas, atque uxores invenio, scilicet quae, transactis in theatro fabulis, irent nuptum, silentibus sane auspicibus (5):

. . . . *Transacta fabula*
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Ultro ibit nuptum; non manebit auspices:

puellarum autem nomine eas Juvenalis appellat, Martialis uxorum, dum primus haec (6) habet:

Mox lenone suas jam dimittente puellas.

secundus vero (7):

Summaenianas coenet inter uxores.

10. So-

(1) Plaut. Pseudol. act. 1. sc. 1.
(2) Terent. Eunuc. act. 1. sc. 2.
(3) Janus Douza in Precidaneis ad Petron. sat. Jo. a Wovveren. in animadversion. ad Petron. in Satir.
(4) Catull. 55.
(5) Plaut. in Prolog. Casinae.
(6) Juvenal. sat
(7) Martial. epigr.

10. Sorores fuisse appellatas apud Plautum sane inveniet nemo; passim vero apud Petronium, et pronioris aevi scriptores. Quidam tamen acrius affirmare conati sunt verbum hoc ab aurei saeculi scriptis omnino abesse; sed in hoc sane et falluntur et fallunt: nam Tibullus habet, habet Propertius: hic enim amatorie sua sic explicat vota, dum Cynthiam alloquitur (1):

Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego tibi sim.

alter vero repudiatam ante Neaeram uxorem, aut denuo uxorem, aut sororem esse cupit his versibus (2):

Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera
Mittit, et accipias munera parva rogat:
Teque suis jurat caram magis esse medullis
Sive sibi conjux, sive futura soror:

quos ita Lipsius (3) noster, eruditionum pater, explicat versus: *Haec tibi parva a me munera mittuntur, qui ut spero, vir tibi futurus sum, nunc autem frater, idest amator, et concubinus.*

11. Hactenus de innuptis, auspices non manentibus, ac persaepe nubentibus verba fecimus, quarum vel Plautus, vel cultioris aevi meminere scriptores. Bustuariae nunc supersunt Moechae, de quibus nec Plautus, nec reliqui fecere verbum, si unum excipias Martialem, apud quem celebris ille adest versus (4):

Admittat inter Bustuarias Moechas.

Super quo sane versu hae sunt (5) variorum notae: *Animadverto id explicari de mulieribus ad funus deplorandum conductis: quod nequaquam verum esse arbitror; quum potius significari vulgaria, et diobolaria illa scortilla existimem, inter busta, atque monumenta pene in propatulo prostantia, de quibus lib. 1. epig. 34.*

Abscondunt spurcas et monumenta lupas.

12. Haec varii. In eamdem Kirkmannus (6) ivit omnino sententiam, qui haec habet: *Bustuarias Moechas Martialis vocat hujusmodi lupas inter busta et monumenta, pene in propatulo prostantes, uti recte explicat Turnebus.* Turnebus ille igitur Latinae eruditionis antistes hujus (7) fuit sententiae antesignanus: idemque sensit (8) Gronovius, quem Kirkmannus, et varii; et tandem suo, hoc est caecorum more, sequitur Pitiscus (9).

 13. Nul-

(1) Propert. l. 2.
(2) Tibull. l. 3.
(3) Just. Lips. var. lect. l. 2. c. 1. p. 835.
(4) Martial. l. 3. ep. 93.
(5) Notae variorum in ep. 93. l. 3. Martial.
(6) Kirkman. de Funerib. Romanor. l. 3. c. 22. p. 434.
(7) Turneb. Adversar. 13. 19.
(8) Gronov. Antiq. Grecar. t. 8. p. 1412.
(9) Pitisc. in Verb. „ Bustuariae Maechoe.

13. Nullam sane aliam afferunt universi propriae sententiae rationem, quam illam ab altero Martialis versu deductam (1):

Abscondunt spurcas et monumenta lupas.

Ubi haec varii (2): *Summoenia veterum murorum monumenta tegunt vulgata illa prostibula. Vel intellige diobolaria illa scortilla servis, et infimis hominibus prostantia inter sepulchra, et monumenta, quas epigrammate 93. libri tertii Bustuarias appellat Moechas.*

14. Ego vero ineptissimam hanc censeo sententiam: itaque, licet unicus, in alia omnia discedo. Nego enim, et pernego scorta *in monumentis ullo umquam tempore delitescentia, atque in propatulo ad sepulchra pene prostantia*: nego *dictas inde Bustuarias*. Quod ut clarius assequar, primo Turnebianam illam, et Gronovianam evertam rationem (qua scorta in sepulchris illi credidere prostantia) versui sane mox allegato Martialis innixam (3):

Abscondunt spurcas et monumenta lupas.

Deinde non aspernanda rationum momenta in medium adducam, quibus somniatum hoc scortorum in sepulchris sessibulum destruam omnino, atque evellam.

15. Ut late igitur pateat immane quantum erraverint, qui versu illo Martialem a Martiale explicatum putant, praestat integrum illud Martialis epigramma in medium afferre, quo Lesbiam insectatur, quod apertis semper peccaret liminibus. Ita igitur ait vates (4):

Incustoditis, et apertis; Lesbia, semper
Liminibus peccas; nec tua furta tegis;
Et plus spectator, quam te delectat adulter;
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent,
At meretrix abigit testem veloque, seraque,
Raraque summoeni fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Elide disce pudorem:
Abscondunt spurcas haec monumenta lupas.

16. Dum haec lego, non possum, quin dicam: liceat Turnebo, et suis, una cum Clazomeniis insanire. Quid enim hic Martiali nostro cum bustis, atque sepulchris? Lesbiam increpat vates, quod amatoria sua furta non tegat; hanc autem in Lesbiam rationem adsignat: *Meretrix ipsa, o Lesbia, testem abigit nedum velo, verum et sera; et vix ulla rima in fornice patet summoeniano: discas pu-*

(1) Martial. l. 1. ep. 34.
(2) Notae variorum in Martial. l. 1. ep. 34.
(3) Martial. l. 1. ep. 34.
(4) Ib. l. 1. ep. 35.

Digitized by Google

pudorem, licet, a Chione, vel ab Elide, a duabus nempe notis scortillis in summoenianis fornicibus moram trahentibus: haec monumenta abscondunt spurcas lupas; hi nempe summoeniane fornices spurcas nobis lupas obducunt. Monumenta vero ait, quia fornices arcuati erant, et hypogeorum, sive monumentorum (1) more constructi, ut Petronii clarissimus notat interpres in meretricem illam, assem a Peculiato Pedicone, Asciltum persequente, pro usu cellae exigentem; qui haec ait: *Fornicatrix est, cujus corpus publicum: hae sub ARCUATIS prosternebantur, QUAE LOCA FORNICES dicuntur: HINC MARTIALIS MONUMENTA APPELLAT lib. 1. epigrammate 34. quia fornices ad instar hypogeorum*.

17. At quo sane modo *sepulchra* potuit Martialis in medium ferre, dum haec dixit *monumenta*? Num antea sepulchra nominavit? Quid ergo *haec monumenta* dixit? Cur relativo utitur nomine inquiens *haec monumenta*? nempe quia fornices summoenianos protulit. Dum ergo dixit *haec monumenta*, eum ad fornices, non ad sepulchra, respexisse, pueris ipsis, innuptisque puellis est notum.

18. Sensere hanc sane difficultatem Turnebus, atque Kirkmannus; ideoque (2) legendum duxere.

Abscondunt spurcas et monumenta lupas;

Verum codices omnes emendatiores, ipsiquemet varii legunt *haec monumenta*, lapidemque sic quaestioni ponunt extremum. Si ergo *haec monumenta*, quae spurcas abscondunt lupas, summoeniani fornices sunt, non sepulchra, Martialis Martialem non explicat. Non igitur *Bustuariae Moechae* scorta in monumentis, et *sepulchris* palam prostantia. Quid, quod nemo haec dixit umquam? Silet enim Plautus, silet Terentius, tacent reliqui scriptores; neque Catullus, aut caeteri, amatoria, et ludrica persequentes Bustarias memorant Moechas. Si mos iste vero prostandi in sepulchris constans, cur tantum de hoc more silentium?

19. At Bustuariam Moecham busta frequentasse fatendum erit: in sepulchris ergo scorta illa prostabant. Bona verba quaeso. In monumentis, sive sepulchris nec *prostabant*, nec *prostare*, quin immo nec *stare* poterant: quod si vobis Collegis optimis erit probatum, Turnebum, et varios, catomidiari forte jubebitis. Jam vero a monumentis, et sepulchris, quam longe Moechas abfuisse vel vobis illud ostendit, quod a religiosa omnino sepulchrorum sanctitate promanat. Quis enim veteris est ita eruditionis expers, quis Romanarum ita legum ignarus, qui ea, quae tam nitide Tullius scri-

(1) Jo. a Wovveren Animadv. in Petron. p. 358. (2) Turneb., et Kirkman. loc. sup. cit.

Digitized by Google

scripsit (1), ignoret? *Sepulchrorum nempe sanctitatem in ipso solo esse, quod nulla vi moveri, aut deleri posset, atque, ut caetera extinguuntur, sic sepulchra fieri vetustate sanctiora?* Quis Catullianum illud ignorat (2),

Et Batti veteris sacrum sepulcrum?

Quis denique cum Quintiliano (3) *sacratos morte lapides* fuisse dictos ignorat?

20. Quod si doctorum satis fortasse non fuerint scripta virorum, Romanas afferam leges, ex quibus Turnebi sententiam a veritate alienam esse intelligetis. Religiosum enim effici locum, quo quis inferretur, licet alienum, profitetur (4) aperte juris consultus. De sepulchro item violato contra eum agi poſſe liquet, qui sepulchri (5) tantum lapidem moverit, cespitem evellerit. Denique si quis in sepulchro, non jam scelera perpetrasset, sed dolo quocumque malo habitandum duxisset, haec (6) ajebat praetor: *Si quis in sepulchro dolo malo habitaverit, aedificiumque aliud quam de sepulchri causa factum sit habuerit, in eum judicium dabo.*

21. Age vero Turnebe: pugnantia te loqui non vides? Si Moecharum mos erat propalam in sepulchris prostandi, quaestusque exercendi, quomodo praetor judicium dabit in id, quod sit in mores inductum? Contra vero an ita exleges Quirites, qui manium adeo jura contemnerent? Qui sacra, et plena religione loca, spurcissimis habitanda lupis relinquerent?

22. Quid, quod undique inspicimus nedum sepulchra ipsa sacra, verum etiam sepulchrorum ambitum in agro, et in fronte (ut cippi passim indicant universi) profanis vetitum, ac sanctitate refertum? Hinc pueros ipsos, ne mingerent, monendos in satyra duxit Persius, dum ait (7):

. . . . . *Pueri, sacer est locus: extra*
Mejite,

et Venusinus ille noster (8):

Nec satis apparet, cur versus factitet, utrum
Minxerit in patrios cineres,

ac denique lapis vetus ille notissimus (9):

Hospes ad hunc tumulum ne mejas ossa precantur
Tecta hominis.

23. Si ergo nefas mingere, ac sacrilegio proximum putabatur:

(1) M. Tul. Cic. Philipp. 9. c. 6.
(2) Catull. 7. 6.
(3) Quintil. declamat. 10.
(4) In leg. 2. Cod. de relig. et sump. Funer.
(5) In leg. 5. Cod. de Sepulch. violat.
(6) In leg. 3. Cod. de Sepul. violat.
(7) Pers. sat. 1.
(8) Horat. in Art. Poet. v. 470.
(9) Lap. Vet. a pluribus relat.

Digitized by Google

tur: si Svetonius Neronem religionis arguat contemptorem (1), quod deam Siriam urina contaminasset; quo nam modo in Quiritium mores induci umquam poterat, ut contra jura sepulchrorum, contra manium voces, contra leges sacrorum apud ipsamet sepulchra, homines rem cum scortis haberent?

24. Verum his etiam missis, quid sepulchro cum bustis? Quid Bustuariae Moechae cum monumentis? Sepulchrum sane, ac monumentum a busto differe nemo non videt. Sepulchrum quippe, ut ait (2) Imperator, est, *in quo corpus*, *vel ossa sunt deposita*; ideoque sub sepulchri nomine proprie columbaria, hypogea, conditoria, tumuli, sarcophagi veniebant: bustum vero, ajente (3) Lipsio pro loco accipitur, in quo cadaver combustum est, et si Servio credamus: *Pyra est lignorum congeries*; *rogus cum ardere caeperit*: *bustum vero jam exustum vocatur quasi beneustum* (4). Inde igitur cremationis, seu combustionis in aperto locus, in abdito sepulchri. Bustuariam igitur Moecham, non a sepulchro, aut monumento (quae a busto distant) sed ab ipsomet busto nomen accepisse statuendum erit. Turnebiana igitur sententia extra portam Moeviam amandanda.

25. Eversa sic Turnebi, et aliorum opinione meam propono sententiam: Bustuarias nempe lupas non eo dictas, quo in sepulchris propalam quaestum fecissent, sed eo Bustuarias a Martiale appellatas, quo circa busta persaepe errassent. Non igitur Martialis innuit somniatam a Turnebo in sepulchris scortandi consuetudinem, vetustati penitus ignotam; sed furacem potius pauperiorum moecharum indolem designavit, quae nimia adactae paupertate, a bustis, quae poterant unguentorum, aromatum, ferculorum, vestium denique, suppilabant. Hujus sane moris historiam apud cujusque aetatis auctores inveni, Turnebiani moris nusquam gentium; ergo Bustuariae Moechae non in sepulchris procaces, sed circa busta furaces fuisse duco, atque inde dictas Bustuarias censeo.

26. Quod verbum istud *Bustuariae* potius a bustis sit, quam a sepulchris, repetendum, praeter ea, quae diximus, vel illud ostendit, quod de Bustuariis gladiatoribus scriptores tradunt; non enim illi ad sepulchrum, sed ad rogum, et ad busti cineres dimicabant; unde Servius (5) haec ait: *A Busti cineribus bustuarii dicti*: et Florus (6): *captivosque circa rogum jussit armis dimicare*: et inde (7) Tul-

(1) Sveton. in Neron. c. 56.
(2) Basilicor. 9.
(3) Just. Lips. Saturn. 1.
(4) Serv. in Æneid. l. 11. v. 155.
(5) Serv. in Aeneid. l. 10. v. 519.
(6) L. Flor. in hist.
(7) M. Tull. in L. Pison.

Tullius sibi ait *esse cum bustuario gladiatore decertandum*; demumque Seneca (1) *munera ad rogum* memorat, *et ambitiosas exequias*.

27. Quod vero in rogis, ac bustis, vestes, odores, unguenta, dapes, fercula, panes demum, atque his similia adolerentur, passim ubique legimus; ut enim ait Maro (2)

Purpureasque super vestes velamina nota
Injiciunt
. . . . . . *congesta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo,

et Statius (3)

. . . . . . *Omne illic stipatum ex agmine longo*
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabei,
Indorumque arsura seges.

et Lucanus de Busto Pompei (4)

Collegit vestes, miserique insignia magni,
Armaque, et impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summa
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.

Ex historicis vero haec de Germanico (5) habet Tacitus: *Atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestes, odores, aliaque funerum solemnia cremabant*: et Plinius (6): *habebat puer luscinias, psittacos, merulas; omnia Regulus juxta rogum trucidavit; nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris*.

28. Quod vero pauperioris viliorisque notae hominum, foeminarumque mos esset dapes, aut vestes, odores, vel unguenta suppilandi, ex pluribus aetatis cujusque scriptoribus felici quadam ego sedulitate collegi. Lucillius enim omnium primus hunc videtur morem innuere in illo versu (7):

Mordicus petere aurum ex flamma, e coeno cibum:

huc quoque puto referendum illud (8) in Eunucho Terentii carmen:

E flamma te petere cibum posse arbitror.

At melius nemo Catullo nostro (si unum excipias Plautum) hunc explicat morem in illis versibus (9):

Uxor ne Meni, saepe quam in sepulchretis
Vidistis ipso rapere de rogo coenam
Cum devolutum ex igne prosequens panem
A semiraso tunderetur ustore? Un-

---

(1) L. Ann. Seneca de Brevit. Vitae.
(2) P. Virg. Maro in Aeneid. 6.
(3) Pap. Stat. Silvar. v. 228.
(4) Lucan. de Bell. Phars.
(5) Corn. Tacit. Annal. 3. 2.
(6) Plin. l. 2. ep. 4.
(7) Lucil. sat. 27. In corp. Vet. Poet. c. 1. inter Fragment.
(8) Terent. in Eunuc.
(9) Catull. ep. 59.

Unde noto, in ſepulchretis Catullum dixiſſe, non in ſepulchris. Plautus vero meus hunc tandem graphice morem in quodam lenone deſignat, quem propriiſſime in Pſeudolo appellat *Buſtirapum* (1):

Pſeud. impudice Bal. ita eſt. Ps. ſceleſte Bal. dicis vera Ps. verbero
Bal. quippini? Ps. buſtirape. Bal. certe:

Quid venuſtius ad hunc morem deſignandum dici, aut excogitari umquam valet?

29. Lenones ergo Buſtirapi: cur ita vero? Nempe quia pauperrimae illius puellae ad corpora linenda, et ornanda, unguentis egebant, atque odoribus. Inde eſt, quod, ni ad buſta aut puellae, aut leno confugiſſent, viliſſimo ungi deberent unguento, nempe ſcheno, a quo, ut vidimus, dictae ſchenicolae. Inde eſt, quod Martialis noſter, divitem increpans Malchionem eum inſectatur, quod ſuis dividat convivis Moechae pauperis capillare vile, ideſt unguentum, quo Moechae, meliori carentes, ungerent capillos (2):

Nec erubeſcit murice aureo nobis
Dividere Moechae pauperis capillare.

Quid ergo mirum ſi buſta Moechae iſtae frequentarent? Si Buſtuariae ab adeundis avide buſtis dicerentur?

30. Verum quoniam in Turnebi ſententia Martialis explicare Martialem haud potuit, videamus quaeſo, an in noſtra vates ipſe idem Martialis explicet vatem, moremque noſtrum idem ipſe deſignet. En vobis in medium profero verſus illos, quibus nil ad morem hunc explicandum nitidius: ita enim vates buſtuarium, ſive buſtirapum increpat Zoilum (3):

Unguenta, et caſias, et olentem funera myrrham,
Thuraque de medio ſemicremata rogo
Et quae de Stygio rapuiſti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde ſinu.

Quod ſi mos iſte apud omnes rei Romanae ſcriptores adeo frequens eſt, atque conſtans, cur novum et ignotum, atque inauditum ſomniant ſomnum Turnebus, Gronovius, atque Kirkmannus?

P 31. Pro-

(1) Act. 1. ſc. 3. v. 126. (2) Martial. l. 3. ep. 82. (3) Ib. l. 11. ep. 54.

31. Profecto Moechae istae alicariae, quarum vel nebulae cyato nec cerdo, nec fullo septem emerent noctes, viliorum foeminarum morem sequentes circa busta suppilanda errasse dicendae sunt; ut ſicuti gladiatores, circa busta pugnantes, bustuarii, ita Moechae circa busta harpagatis manibus decertantes, bustuariae merito sint appellatae; ibi enim quae poterant, oculis quaeritantes emissitiis, sedulo corradebant, licet a semiraso, ut ait Catullus, persaepe tunderentur ustore. Neque abs re id agi sua videbantur; quae enim quaestum facerent, unguentis egebant, odores quaeritabant, ut olidam cum prostituti corporis, tum spurcissimae cellae vim imminuerent. Quam ob rem cum scheno essent fere omnes delibutae, felices sane reputabantur, si myrrham, et casias, et arsuram Indorum segetem de Stygio lecto rapuissent.

32. Verum suismetipsis cum versibus, a Turnebo non intellectis, lapidem quaestioni idem ille Martialis noster ponit extremum. Vetustillam increpat vates tam vetulam, ut ei non amplius, quam tres capilli, quatuorque sint dentes; eamque admitti solitam ait in balneis, a balneatore, extincta tamen lucerna Moechas inter bustuarias. Quid aliud id est, nisi morem illum innuere, quo balneatores vilissima, turpissimaque scorta, extincta tamen, ne viderentur, lucerna solebant admittere? Eo enim aucupii causa reliquiae istae alicariae, sordidioresque prostibulae conveniebant (1):

Cum te lucerna balneator extincta
Admittat inter bustuarias Moechas.

33. Si ergo anicula haec inter bustuarias Moechas, hoc est viliores, pauperioresque, a balneatore admittebatur; si in balneo, extincta lucerna, aucupii causa degebat, qua sane ratione eam in sepulchris, seu monumentis palam prostasse Turnebus affirmat? Bustuariae ergo dictae, non a quaestu in sepulchris faciendo, sed ab errando circa busta, sed a paupertate, utilitate, et necessitate rei bustuariae suppillandae. Ni potius (ut vobis linquam Collegis optimis conjiciendum) duplici sensu bustuariam Martialis appellaverit Vetustillam; et quia adacta paupertate erraverit circa busta, petens aurum ex flamma, e coeno coenam; et quia, diem pene agens extremum, brevi fuerit comburenda, et busto jam proxima: quod facilius admitterem, ni Martialis bustuariarum Moecharum quasi quemdam coetum designaverit, dum dixit:

Admittat inter bustuarias Moechas.

A ve-

(1) Martial. l. 3. ep. 93.

A vero autem, atque a verosimili nimium abest, balneatores Hecubas potius quaeritasse omnes, quam Andromedas, ut balneum foeminis magis morituris explerent, quam vetulis. Libentius igitur dixerim, Moechas, quo senio proximas, atque amasiis pene destitutas, eo pauperiores, vilioresque extitisse; ut proinde, paupertate adigente, circa busta errare, et cibum, atque unguenta petere debuissent; quam ob rem viliores has vetulas, ac senescentes Moechas, circa busta interdiu errare coactas, bustuarias veteres appellaverint, atque in balneis, extincta lucerna, balneatores admiserint.

34. Utcumque tamen haec se res habeat, a Turnebo, Gronovio, Kirkmanno, et caeteris, veritatem abesse non dubito. Nova haec, quae protuli de bustuariis Moechis assueta, Sodales, humanitate agnoscite, proferenti autem novam omnino sententiam ignoscite, ac veniam date. Quod si eam vestra, quae summa est, auctoritate approbaveritis,

Sublimi feriam sidera vertice:

Kalendis Sextilibus 1776.
Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO VI.

De Seviris Augustalibus.

Cum nudius decimus instituerim, Sodales, de Seviris Augustalibus, dextro licet non Apolline, verba facere, numen ita inimicum inveni, ut me ab incepto penitus deterruerit. Cum enim cruciatu maximo vexarer arthritidis; atque ex malis omnibus omnium sane pessimus dolor esset, non Musarum ducem, non medelae arbitrum, sed Apollinem visus sum videre tortorem; ut non modo priscis Augustalibus, verum etiam veteribus Augustis vale dixissem universis.

2. Posteaquam convaluit animus, ad Seviros reddeo Augustales, non injucunda de his proposita quaestione, de quibus paucissima Samuel Pitiscus monumenta ex vetustis lapidum se legisse fatetur elogiis; cum, ajente (1) illo, hac de re *ne verbum quidem constet fecisse scriptores*. Quaerens igitur Samuel, an Seviri Augustales praecipuo in municipiis, aut coloniis sacerdotio pollerent, atque a primoribus urbium eligerentur, paucis utrumque verbis audacter affirmat: ego vero *illos nec ullo fuisse praeditos sacerdotio, nec minima generis nobilitate claruisse contendo*.

3. Verum quae Pitiscum primo in errorem induxerint explanabo. Sodalium Augustalium e primoribus civitatis sacerdotium Romae institutum a Tacito Pitiscus accepit. Haec igitur (2) inde colligit: *Non improbabile illud mihi succurrebat, imitamento atque exemplo Augusti, sodalium Romae, hos etiam in coloniis, et municipiis potuisse nuncupari. Eo referrem apparatum ludorum, qui ferme in honorem numinum edebantur. Quod si tum nomen congruit Augustalium tam Romae, quam in aliis civitatibus, tum munus non dispar rebus sacris vacandi, absonum minime videatur, si municipalis hic honor imitatione Romani sacerdotii sit appellatus*: haec Pitiscus Minerva quidem et olida, et laeva, et invita.

4. Augustalium igitur origo, nomen, ac munus Pitisco nostro tanta sunt, tantam vetusti lapides, sodalium Augustalium sacer-

(1) Samuel Pitiscus in Lexico verb. Augustales p. 211.

(2) Samuel Pitiscus ib.

cerdotia testantes, vim faciunt; ut multa licet de Seviris Augustalibus agentia veterum monumenta viderit, contrarium aperte suadentia, his tamen unice utatur verbis: *Hoc a vero abit*; *nam Augustales non erant magistratus, sed sacerdotes, ut ex Tacito, et vetustis elogiis supra probatum est* (1).

5. Ista vero immane quantum a veritate aberrent non levia, nec pauca monstrabunt argumenta. Illud autem potissimum non inficior: sodales Augustales praecipuo fuisse praeditos sacerdotio: illud ajo, Seviros Augustales, nec praecipuo, nec ullo. Sodales fuisse sacerdotes pluribus Tacitus, iisque apertissimis testatur locis; et quidem in annalibus haec habet (2): *Idem annus novas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus, et viginti: Tiberius, Drususque, et Claudius, et Germanicus adijciuntur*: quod et aliis annalium, et historiarum locis plane confirmat.

6. Verum quaeso quid Seviris cum sodalibus? Quid porro absurdius, quam dicere, sacerdotio Romae sodales fungi, ergo et Seviros in coloniis? Quid vero aliud est Seviratus. Ipsomet (3) nec negante Pitisco, quam annuus magistratus a sex viris ita partitus, ut duobus vicissim mensibus jus dicerent singuli (4)? Quod si ipsimet Seviri; vel, ut nomen ampliori vocabulo honestarent, Augustales dici maluerint, vel hanc potius ab Augustis honoris accessionem acceperint, num exinde, qui Seviratus erat, Seviratum esse desiisse putemus? Sane uti *milites Augustales*, *praefectus Augustalis*, *ludi Augustales*, quos veterum monumenta produnt, militum, praefecti ludorum ubique retinuere naturam, ita Seviri Augustales, non magistratus naturam posuisse, sed magistratum, quo pollebant honestiori censendi sunt exornasse vocabulo.

7. Cum igitur Seviratus, non secus ac treviratus, duumviratus, decurionatus, magistratus unice indolem redoleret, quid porro commune habebit cum sacerdotio Augustalitatis accessio? At reponit (5) Pitiscus: *Absonum non videri, si municipalis hic honor imitatione Romani sacerdotii sit appellatus*. Age vero, Pitisce: quid Augustali cum sacerdotio? Num sacerdos, ex quo Augustalis? Minime gentium. Cur igitur *Augustales* Romae *sacerdotes*? Nempe quia *sodales*: quod si *sodales* non fuissent, nec *sacerdotes*. Quam sane rem Ta-

(1) Samuel Pitisc. ib.
(2) Com. Tacit. Annal. l. 1.
(3) Samuel Pitiscus verbo „ Seviri.
(4) Reinesius In epist. 31. ad Rupert. Velser. rer. Vindel. 5. p. 212.
(5) Sam. Pitisc. in suo Lex. V. Augustal.

Tacitus illis aperte (1) verbis indigitat: *Addito SODALIUM Augustalium sacerdotio, ut quondam Titus Tatius SODALES Titios*: Cum itaque nullum penitus extet vetustatis monumentum, in quo Seviri Augustales dicantur *sodales*, qui sacerdotium Seviris adscribit, incassum nitendo sudat, nec proficit hilum.

8. Enim vero ut in *sodalitatis*, non autem in *augustalitatis* nomine, *sacerdotium* insedisse probemus, vel illud Tullii de senectute (2) protulisse sufficiat, qui haec ait: *SODALITATES, quaestore Marco Catone Majore constitutae sunt, sacris Ideis magnae Matris receptis*: quod evidentius res perlustranti Romanas patebit; dum ubique *sodales* inveniet divis jam factis Caesaribus consecratos; Claudiales, Flaviales, Hadrianales, Antonianos, Verianos, Alexandrinos, Aurelianos, Helvianos, Severianos, appellatos inveniet, ut passim historiae, et vetusta lapidum ostendunt monumenta: verum Seviros Flavianos, Hadrianales, et similes vetustate consecratos nusquam inveniet.

9. Seclusis itaque a Seviro Augustali sacerdotum insigniis; quae municipalem unice magistratum indigitant, proferamus. Quatuor potissimum ex causis Seviratum Augustalem nudum fuisse censeo magistratum, nempe quia Seviratus Augustalis *erat ordo*: *erat emptitius*: *erat temporaneus*: *unius denique magistratus insignia praeferebat.*

10. Augustales igitur Seviri in suis ubique coloniis, aut municipiis, honestum *ordinem* in civitate componebant, qui sane infra decurionum esset amplitudinem, ac supra populi tenuitatem. Ita enim ex vetustis (3) Gruteri colligo monumentis: *Ordo decurionum Augustalium: et plebs universa*: et alio loco: *ordo decurionum*, et *Augustalium*: et alibi: *Augustalis I. D.* et in decreto Pisano (4) de obitu Caii Caesaris: *per consensum omnium ordinum*: nimirum decurionum, Sevirum Augustalium, et plebis universae. Equidem, ipsomet nec inficiante (5) Pitisco, nil aliud sibi velle ordinem video, quam magistratum: *Ordo* (ait ipse) *differt a collegio, corpore, sodalitio*: *ordo dignitatem, vel artem plurium designat, ut equester senatorius publicanorum, mancipum, decurionum*. Non igitur *ordines* sacerdotia; haec enim ad sodalitia, ad collegia, spectare nemo non videt. Quid vero clarius dici umquam potest, ut magistratum designet, quam (ut in citato mox lapide) *juri dicundo* praeesse Augustalem? Quid ista hic agunt subsellia, si de sacerdote sit sermo?

11. Mi-

(1) Corn. Tacit. Annal. 1.
(2) M. T. Cic. de Senect. c. 13.
(3) Gruter. 475. n. 3. 1089. n. 6. 421. n. 7.
(4) Velser. rer. Vindel. 5. p. 275. Reines. ad Rupert. ep. 37.
(5) Sam. Pitisc. Lex. t. 1. verbo Colleg. p. 469. et verbo Ordo p. 702. t. 2.

11. Mirum autem in modum haec probat Gruteri inscriptio (1) illa prolixior, in qua haec leguntur: *Arbitrio Augustalium quo facilius strati jus publicum obire possint*: In hos lapides male Pitiscus offendens, ut petricosum iter effugiat, ad jurisdictionem, qua sacerdotes in sacris pollebant sensum (2) detorquet. Verum sacerdotes de *jure sacrorum*, non de *jure publico* sententiam dicebant suam. Quo ergo pacto ad sacra referre audebit, quod *juri dicundo* Sevir Augustalis praesit, *jusque publicum obeat*?

12. At reponit Pitiscus, vel ex eo Sevirorum Augustalium probari sacerdotium *quod ludorum apparatus ad eos sane spectaret, qui ferme in honorem numinum edebantur* (3). At quid *ludis*, si vis etiam sacrioribus, cum *sacerdotio*? Equidem, Pitisce, ista immo sunt, quae sacerdotium eliminant, argumenta, aedilitatem quippe, Gellio inter caeteros (4) tradente, alterum scimus ex minoribus fuisse magistratibus, infra summum, ac medium consulum, praetorumque fastigium constitutum; aedilem vero sacerdotibus nemo adhuc adscivit. Porro sanctiores, celebrioresque ludos, propriissima fuisse aedilis munia, aedilis vel ipse Tullius per haec praecipue (5) verba testatur: *Nunc sum designatus aedilis: habeo rationem quid a populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberaeque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Romanae, ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione, Jovi, Junoni, Minervaeque esse faciundos*. Seviros igitur Augustales, ex quo in divorum honorem ederent ludos, inter sacerdotes nemo dixerit adscribendos.

13. Quid, quod nec officio, nec auctoritate, nec nomine, Seviri cum sodalibus commune quid retinebant? Non officio; quia sodales *sacerdotes*, seviri *judices*: non auctoritate: quia *sodales*, ut ait (6) Tacitus, ex urbis *primoribus*, Seviri ex *infimae sortis*, ut mox patebit, hominibus: non demum nomine; quia seviri a *sex judicum* numero, quorum singuli binis jus dicerent mensibus, nomina desumebant; contra vero sodales, solis divorum Caesarum sacris addicti, non sex, aut decem, sed *quinque* fuere supra *viginti*, ut ex Tacito cuique constat.

14. Ve-

(1) Gruter. p. 215. n. 2.
(2) Sam. Pitisc. V. „ Augustales.
(3) Idem ib.
(4) A. Gell. l. 13. c. 14.
(5) Marc. Tull. Cic. in Verrem lib. 5. cap. 36.
(6) Tacit. Annal. 1.

14. Verum quod seviratum a sacerdotio prorsus eliminat, emptitia erat ejus indoles, et natura. Miraculo enim prope esse dicebatur seviratus nummis obtentus non presentissimis (1):

HIC PRO SEVIRATU IN R. P.
DEDIT HS. &c &c.

Inde est profecto, quod in Trimalchionis sepulchro, quasi honor insolens, legeretur (2):

HUIC SEVIRATUS ABSENTI COLLATUS EST.

Si enim Reinesio (3) credimus, eadem erat seviratus ratio *absenti collati*, ac *gratuiti*. Inde est, quod ipsemet Trimalchionis libertus, homo licet indignissimae sortis, se, suaque in Coelum jactans, haec proferat: *Sevir GRATIS factus sum: spero sic moriar, ut mortuus non erubescam* (4). Inde demum est, quod vetusta lapidum monumenta insuetum hunc honorem omittant nunquam (5). Itaque haec lego apud Smetium.

HUIC ORDO DECURIONUM OB MERITA EJUS
HONOREM AUGUSTALITATIS GRATUITUM DECREVIT

et alio loco (6),

SEX VIRO AUGUSTALI GRATUITO DD.

15. Ast in sacerdotiis Romanorum sordes adhibere, vel praetium, crimen erat, quod sacrilegio proximum putabatur, non vetustatis quidem monumentis consignandum, sed tenebricosa obruendum oblivione, ut ex Dionysio (7) colligimus. Non itaque monumenta produnt Jovis, Martis, Quirini, aut Cereris sacerdotium gratuito fuisse collatum, ut de Sevirorum magistratu non sine quadam elatione, fastuque loquuntur. Quam ob rem quod sacerdotia Verres venditasset Tullius maximo vortit vitio (8): ea enim venditione *non solum hominum jura, sed etiam deorum religiones immortalium repudiavit*.

10. Enim

(1) Smetius Inscript. p. 74. n. 4.
(2) Petron. In Satyr.
(3) Reines. in notis variorum ad Petron. Arbitr. p.430.
(4) Petron. in Sat. p. 330. et seq.
(5) Smetius inscript. p. 49. et 74. Pitisc. t. I. p. 212.
(6) Ibid.
(7) Dionys. Alicarnas. hist. l. 2.
(8) M. T. Cic. in Verr. l. 2. c. 106. l. F.

16. Enim vero nedum emptitia Seviratus indoles Augustalis, Seviratum arcet a sacerdotio, verum etiam dies Seviratui absolvendo praefinita. Idem enim satis est, atque super, ut ne sacerdotium fuisse dicamus. Quis enim ignorat perpetua fuisse sacerdotia, nullisque temporis definita limitibus? et licet Plutarcus, res non semper optime callens Romanas, auguri quidem asserat (1), in summis licet flagitiis affecto, sacerdotium, quandiu vixerit, non abrogari, caeteros deportatione damnatos sacerdotio destitui, vel unum id tamen satis ostendit sacerdotia nullo fuisse stato tempore definita.

17. Verum de Romanis sacerdotiis longe Plutarcho instructior Plinius (2) haec scripsit: *Sacerdotium priscum, et religiosum: hoc quoque sacrum plane, et insigne est, quod non admittitur viventi*: Et Dionysius (3) idem tradit his verbis: *In omnem vitam hunc honorem concessit*: quare non abs re cultioris notae vir Levinus (4) Torrentius universa censet Romanorum sacerdotia fuisse perpetuitate donata. At Seviratus, juxta magistratuum indolem, anno praefiniebatur, intra quem (5) singuli binis jus dicerent mensibus; et quandoque ad summum iterabantur, ut in hujusmodi (6) vetustatis monumento a Smetio colligimus:

FAUSTUS LIBERALIS SEVIR AUGUSTALIS
ITERUM

Seviri ergo Augustales nusquam gentium sacerdotes.

18. Idem nos docent manifesta Sevirorum Augustalium insignia, quae sacerdotes minime decent. Seviros quippe Augustales, non certe cum fascibus, sed cum bacillis anteibat lictor, ut a Lucio discimus Apulejo, dum (7) ait: *Virgas, et habitum magistratus convenientem in te video*: Quare illud Campanae superbiae Tullius fuisse (8) arguit, quod Campano magistratui, non cum bacillis, ut par erat, sed cum fascibus duobus anteirent lictores. Immanem hanc secutus est amentiam unus ille quotquot sunt, aut fuerunt umquam, improbissimus hominum Trimalchio, in cujus postibus fasces erant, et, quod pejus est cum securibus fixi (quod neque ipsimet intra Urbem (9) licebat consuli) superbo cum elogio (10):

Q C. POM-

(1) Plutarc. quaest. Roman. 77.
(2) Plin. l. 4. ep. 8.
(3) Dionys. Alicarn. hist. l. 2. p. 92.
(4) Levin. Torrent. in Sveton. Augusti c. 31. p. 87.
(5) Velser. rer. Vindal. 5. p. 272.
(6) Smet. p. 49. n. 7.
(7) L. Apulej. in Asin. Aureo.
(8) M. T. Cic. in Rullum.
(9) T. Liv. Decad. 3. l. 4. Dionys. Alic. hist. l. 5.
(10) Petron. in Coena Trimalchionis.

C. POMPEJO TRIMALCHIONI VI. VIRO AUGUSTALI

Verum insaniam hanc singularem sibi notavit Encolpius his sane verbis ab acutissimo (1) Lipsio ad rem belle perpensis: *Et quod PRAECIPUE MIRATUS sum, in postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quarum imam partem, quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat inscriptum: C. Pompejo trimalchioni VI. viro Augustali* (2). Cur autem id est *praecipue miratus* Encolpius? nisi quia fascium usus Augstali Seviro insolens, et praeter omnem morem. Verum sive fascibus Seviri uterentur, sive bacillis, haec certe, non sacerdotum, sed plane insignia erant magistratuum.

19. Hactenus dicta pellunt a Seviris sacerdotium; dicenda generis etiam claritudinem: eos quippe *homines nihili* semper, et ubique aestimavi; ut quosdam forte inter ipsos inspicias aut *Chrisalos*, aut *Peniculos*, aut etiam *Curculiones*; ita ultimae sortis ajo fuisse Augustales. Profecto vetustiora lapidum intuentibus monumenta vix dabitur, ut Augustalem inveniat tergo non olim cicatricoso, qui nempe servitutem non servierit quondam: quo nil apud Romanos fuisse indignius ipsimet pueri sciunt, innuptaeque puellae. Quos itaque aut turpe in pueritia erga dominos obsequium, aut caeca sors ad lautitias tandem extulisset et libertatem, eos plerumque Augustalitate donabant, quam in municipiis, et coloniis infra decurionatum vidimus esse constitutam. Quare Forosemproniensem Gruterus, et Fabrettus (3) tradidere inscriptionem libertis XIII. refertam, quorum visuntur singuli Augustalitate donati. Item Janus Plancus alteram Sarsinatem, Senogalliensem (4) alteram, protulit Augustalibus insculptam, iisque sane libertis; ac demum Ludovicus Muratorius, ac Scipio Maffejus, caeterique vetustatis collectores libertos ubique tradunt (5) Sevirali Augustalitate donatos.

20. Cur autem indignissimae sortis homines ad magistratum, ut ut decurionatu inferiorem seligerentur non satis facile constat. Laudabili Janus Plancus usus est conjectura, qua Seviratum Augustalem onere potius, quam honore putat affectum. Verum quia Plancus ab historico Senogalliensi relatus, nullo id profert docente magistro, et multa quandoque, quia ipse dixit, probata esse conten-

(1) Just. Lips. Elector. 1. c. 23.
(2) Petron. in Coena Trimalchionis.
(3) Gruter. et Fabrett. Inscription.
(4) Hist. Senogalliae Italice scripta, et edita Senogalliae 1746. a P. Lud. Siena Cong. Oratorii p. 55.
(5) Lud. Murat. in suo Thesaur. Nov. Inscript. Scip. Maffej. in suo Mus. Veron. passim.

tendit, ideo mihi adhuc haerebat aqua : donec mihi juris historiam a clarissimo Terassonio (1), Gallico scriptam idiomate, pervolventi inter bellissima illa ad operis calcem Romanorum testamentorum apposita monumenta, illud Marci Megonii Petilinorum mucipis amica sors obtulit; ex quo duo vidi scatere clarissima veritatis indicia : primum nempe, Seviratum Augustalem magistratum fuisse oneris, non honoris : secundum, ad magistratum hunc homines, in quibusdam pauperioribus maxime municipiis, compelli potius, quam invitari, aut adlegi consuevisse.

21. Marcus igitur Megonius, municipii sui utique studiosus, non aspernandam fundorum legavit Augustalibus latitudinem, nullam sane aliam ob causam, nisi quia speravit municipes suos, dum hoc commodum ante oculos haberent Augustalitatis onus aequiori animo subituros. En verba (2) testamenti : *Ad utilitatem reipublicae nostrae pertinere existimavi facilius subituris ONUS Augustalitatis, dum hoc commodum ante oculos habent.*

22. Quod vero ad Seviratum hunc compelli potius dicerentur homines, quam invitari, aut adlegi, vel ex illis patet ejusdem testamenti verbis; ita enim Marcus Megonius suis cavit tabulis : *Hoc autem nomine relevati impendiis, facilius erunt prospecturi, QUI AD MUNUS AUGUSTALITATIS COMPELLENTUR* (3).

23. En igitur causa ad manus constans, cur indignissimae sortis homines, divitiis caeteroquin affluentes, ad munus Augustalitatis, etiam gratuito quandoque, eveherentur, ut nempe impendiosa munerum, et ludorum largitate municipes suos exhilararent. Quam ob rem miratus non sum *vestiarium tenujarium* legens apud (4) Gruterum Sevirum fuisse Augustalem. Postquam enim *Cerdo* dedit tibi, culta Bononia, munus, fullo dedit Mutinae (5) mirum profecto non erit, Seviratu adepto Augustali, *tenuiarium* dedisse munera *vestiarium*.

24. Optima igitur cum ratione elegantiae arbiter, ac diligens ille morum, ac satyrae scriptor Petronius, hos lepide Seviros insectatur, ac ridet. Postquam enim Trimalchionis superbissimi postes fascibus, ac securibus scripsit Encolpium vidisse fulgentes, Augustalem illummet Trimalchionem de se ipsissimis hisce loquentem inducit (6) verbis : *Tam magnus ex Asia veni, quam candelabrus*

(1) Hist. de la Jurisprudence Romaine par M. Antoine Terrasson avvocat du Parlam. p. 54.

(2) Ex Testam. M. Megonii penes Terrasson. loc. cit.

(3) Ex relato testam. penes Tarasson.

(4) Gruter inscript. 1067. n. 8.

(5) Martial. epigr.

(6) Petron. in Sat. p. 456.

bic est : ad summam quotidie me solebam ad illum metiri ; et ut celerius rostrum barbatum haberem , labra de lucerna ungebam : tamen ad delicias foemina ipsi domino annos quatuordecim fui . En hominum , deorumque pudor Sevir postea Augustalis ?

25. At risu est sane dignissimum quod de lapidario Habinna Augustali Seviro subdit Petronius (1) : *Inter haec triclinii valvas lictor percussit ; amictusque veste alba cum ingenti fraequentia commissator intravit : ego majestate conterritus praetorem putabam venisse ; itaque tentavi assurgere , et nudos pedes in terram deferre . Risit hanc trepidationem Agamennon , et contine te , inquit , homo stultissime : Habinnas SEVIR est , itemque LAPIDARIVS , qui videtur monumenta optima facere* : et hinc Trimalchio ad Habinnam : *Valde* , ait , *te rogo* , *ut secundum pedes statuae meae catellam fingas , et coronas , et unguenta* (2) .

26. Denique ut explicet Arbiter singillatim Augustalium vilitatem , ineptias , et derisum , nedum libertum , servumque jam Trimalchionem , sed et indignissimum ejus servum , libertate donatum , facit *Sevirum Augustalem* . Ejus perlepida quaeso audiamus (3) verba : *Vnus ex collibertis Trimalchionis excanduit ; et quid rides , inquit , berbex ? An tibi non placent lautitiae DOMINI MEI ? Tu enim beatior es , et convivare melius soles ? Nemo mihi in foro dixit: redde quod debes : glebulas emi , lamellulas paravi , viginti ventres pasco , et contubernalem meam redemi ; ne quis in illa manus tangeret , mille denarios pro capite solvi : SEVIR GRATIS FACTVS SVM* .

27. Post haec si quis cum Pitisco Seviros sacerdotibus Augustales comparet , aut adscribat , eosque ad sodalium Romae Augustalium imitamentum e primoribus urbium dicat assumptos , mittatur , licebit , Anticyras . Causam ego peroravi , vestrum erit , Collegae sententiam dicere .

Idibus Octobr. 1774.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor .

FINIS LIBRI SECVNDI .

UR-

(1) Petron. in Sat. lp. 484. (2) Idem ib. p. 424. (3) Ib. p. 330.



URBANARUM QUAESTIONUM

LIBER TERTIUS

DISSERTATIO I.

De sacro apud Christianos usu Cereorum , ac Lucernarum .

QUAM exoptabam , quam precatus sum a Deo immortali , auspicata illa tandem eluxit dies , qua vestrum , Sodales , et literarum , et bonorum denique omnium , praesidium , ac dulce decus , vobis , literis , bonisque universis est restitutum . Accepimus sane , Sodales optimi , medias inter plausus , et laetitiae voces , magnum , atque incredibilem dolorem ; animoque nimis fracto , et afflicto esse videbamur , cum erepto studiorum nostrorum duce , atque omnis elegantiae arbitro , mutum consessum hunc , sociosque vos velut elingues intueremus . Quamquam autem spes quaedam animum demulceret brevi nobis optimum principem , clarioremque , fore reddendum , aliquo tamen adhuc timore angebamur , ne Romanis arcibus magnae spem alteram Romae Quiritium sors retineret : donec illa tandem enituit dies qua nostrum et decus , et columen Urbi huic redditum vidimus . Tanto autem viro vobis , Bononiae , mihique po-

potissimum reddito, languentem, ac pene morientem consessum vestrum conservatum, ac restitutum puto; metu illo intercaepto, ac ferme sublato, ne princeps vir, rebus natus maximis, atque amplissimis, humilia haec nostra studia esset forte despecturus. Tantam enim in eo, tamque inusitatam, inauditamque clementiam intuemur, tantam in summa potestate comitatem, tantam denique, tamque his omnibus admixtam incredibilem sapientiam, ac pene divinam, ut alacres nobis animi, additique recentes quidam stimuli, ac novae quasi vires suppeditatae videantur. Antequam vero novarum virium experimentum exhibeamus, vitio nobis vorti facile poterit, nisi te, optime Princeps, ob maximam istam adeptam in tam florenti aetate dignitatem, gratulatione aliqua prosequamur. In qua quidem re non mihi tam copia, quam modus esset quaerendus, nisi oratio haec nostra nutu, ductu, auspicioque tuo alio flecti deberet. Haec igitur pauca dicam: assiduum illum tuum in negotiis laborem, in agendo industriam, in conficiendo celeritatem, in providendo consilium, quae singula maximos viros decent, in te uno collecta id effecisse, ut in tenero aetatis flore, in primo ad honores ingressu, non modo te Pius VI. Pontifex maximus, sed et Clemens XIV. sanctae memoriae princeps dignissimum existimaverint, qui in amplissimum Romane Ecclesiae senatum referreris. Quid vero tam novum, quam Bononiae prolegatum inter rerum Romanarum patres conscribi? quid tam inauditum, quam quod bis putaverint conscribendum? Quae vero laudes? quae populorum de re testimonia? Constat ne, Sodales, anteactis umquam ullis purpuratorum patrum inaugurationibus, Urbem hanc tanto omnis generis hominum, aetatum, ordinum plausu, vocibus, aut laetitia gestiisse? Omnes, mihi crede, optime Princeps, omnes inquam boni, non obscurum de te, de tuis maximis in rempublicam meritis judicium, decretumque esse voluerunt. Nullum fuit enim in Urbe collegium, nullum sodalitium, nulli cives, nulli ferme pagani, aut montani, qui non amplissima pro salute, ac reditu tuo vota Divis exolvenda existimaverint. Nuncium vero illum, qui te in amplissimum relatum ordinem dixit, omnes sic accepimus, ut post discessum illum tuum, qui tanto dolori fuit, lucem, salutemque nobis redditam, ac restitutam acciperemus. Itaque ille unus dies tantae mihi jucunditati, nedum solatio fuit, ut non modo acerbissimus ille mihi discessus tuus non lugendus, verum etiam fuisse videretur optandus. At nimis urgeo: tua mihi videtur modestia commoveri. Revertor itaque ad nostra.

2. Ad

2. Ad memoriam, optime Princeps, Sodalesque omnes, ut revocetis oro, quam de ántiquis Ethnicorum jejuniis, sive, ut Gelliano utar vocabulo, de flaminum *castibus* sententiam (1) dixerim, nedum rejecta, verum etiam explosa Gronovii, Lipsii, Pitisci, et reliquorum sequioris aetatis interpretum Gellianorum, opinione. Plura tunc de ciborum apud gentes abstinentia, de castimoniis, supplicationibus nudipedalibus verba feci: ex quibus multa apud nos etiam vigent quin idololatriae, aut superstitionis accusari Ecclesia Romana possit, quippe, sicuti ajente Hieronymo (2): *Virginitati verae non praejudicat imitatio virginum diaboli; ita nec veris jejuniis alienae imitatio abstinentiae*.

3. His pro viribus jam pertractatis, de variis nunc, pluribusque religionis nostrae Romanae ritibus, ac ceremoniis sermonem instituam, quibus germanam nemo adhuc originem adsignasse videtur, nec ego forte adsignabo, sed mea qualiacumque proferam argumenta, eaque libens doctiorum judicio subijciam. De sacris igitur vestibus verba faciam, de insignibus pontificalibus, de sacerdotum antequam ipsi rem divinam facerent, ablutionibus, de aqua lustrali, de sacris choreis, de hymnis, et cantu, de manuum impositione, de panum fractione, de interdicta sacerdotibus bigamia, de homicidio pontificatum prohibente, de virginibus, et continentibus, de sacris conviviis, de feralibus epulis, ac silicerniis, de primitiis Divis oblatis, de sacerdotum feriis, de die a media nocte auspicanda, de templorum dedicatione, de clandestinis nuptiis, de vigiliis anniversariis, de religioso Cereorum, ac Lucernarum usu, deque aliis gentium ceremoniis, quae in nostros ritus, superstitione remota, traductae censentur, quarum ceremoniarum diligens inquisitio, et collatio, nec usu fortasse nec fructu carebunt suo. Quod si ullo umquam tempore magnam egimus causam, haec profecto tanta est, ut Sedis Romanae dignitatem, consilium, aequitatem, ac sapientiam ferme singularem ostendat. Itaque universa haec aequissimo sane jure sanctissimos Urbis aeternae Praesules si a gentibus ad nos forte deduxerint, sordibus ea defoecasse, atque omnibus absoluta numeris sanctificasse, vobis probabo, simulque vesanas blaterantium in Romanos ritus novatorum calumnias refellam. Verum ne vestra videar abuti benignitate, Sodales, certos mihi quosdam brevitatis cancellos, terminosque constituam, quos egredi nequeam, si maxime velim. Rem igitur omnem ita dividam ut peculiares ceremonias, quae apud gentes etiam obtinuerunt, pecu-

(1) Supra dissert. 1. l. 1.

(2) D. Hieron. advers. Jovin. l. 2.

Digitized by Google

culiari in dies distributa oratione conferam, atque perpendam; deque sacro Cereorum usu, ac Lucernarum hodierna die verba unice faciam, quem novatores, atque ex his praecipue Gallaeus in suis ad Lactantium notis non tam diris vovent, quam cachinnis excipiunt.

4. Cum igitur in Farnesiano hoc sacello poſtridie kalendas Februarias magna celebritate, plurima hominum omnis generis frequentia viderim ingentem Cereorum copiam cultui summi Numinis solemni subsecuta supplicatione distributam; deinde per templorum fere omnium aedituos Cereos itidem ipsos qua graciles, qua ponderosos magistratibus, ac patronis, dono missitatos inspexerim, dubitavi referret ne aliquam mos iste illius Saturno dicati mensis imaginem:

. . . . *quo volant mappae*
. . . . *Cereique* (1);

ut Martialis ajebat noster: non alia mihi dubitatio incessit, num invectus apud nos Cereorum usus, ac Lucernarum, a gentibus; vitio procul, fluxisse dicendus sit. Utrumque vobis probare conabor: et licet adhuc mihi haereat aqua, dum de Lucernis loquor, quarum usum ab Hebraeorum candelabro, repeti posse non inficior, attamen non aspernenda vobis argumenta subiiciam, quibus meam fulciam et in hac parte sententiam. Cereos sane a gentibus ad nos derivasse probabo: morem denique Cereorum, Lucernarumque, rite recteque a templis in ecclesias invehi potuisse ostendam, cum nullo jure haec, quae idolis olim dicata fuerant, in Dei optimi maximi cultum transferri prohiberentur. Si enim aurea, et argentea vasa Aegyptiorum (quorum erat adeo profana mens, ut nova quotidie, ac praesentissima nasci putarent in hortis numina) in sacrum usum a Deo per Hebraeorum ducem translata sint; si templum Agrippae a pantheo demonum cultu ad unius veri Numinis obsequium magna sit bonorum omnium gratulatione commutatum; si vestes denique, si odoramenta, suffitusque, si religiosa ipsa convivia a gentibus in perversum usum detorta ad electos summa cum laude deducta esse negabit nemo, quis post haec ibit inficias, Cereorum, ac Luminum copiam, coecis olim sacram numinibus, rite, recteque luminis Datori, atque auctori potuisse, correctis gentium erroribus, consecrari?

5. Illud sane persaepe soleo ante oculos ponere, quod in his, quae religionem attingunt, Urbis eternae Praesulibus ratum fuerit, una omnium sententia esse comprobandum. Quod cum ita sit, quis

(1) Martial. epigr. l. 5. ep. 18.

Digitized by Google

quis erit rerum ita Romanarum ignarus, qui nesciat nedum Sicula, verum etiam externarum longe, lateque provinciarum patrimonia Romanis Praesulibus per Caesares, atque Augustos fuisse collata ad Lumina quotidiae Petri sepulchro concinnanda, quae barbaro sane (1) vocabulo *luminariam* appellabant? Quis pontificalis tam expers historiae, qui sedulam Gregorii, ac Joannis curam, operamque non calleat, qua contenderent, ut natali martyrum die cuncta undique Cereis (2) Lucernisque fulgerent? Quis denique rerum adeo sacrarum rudis, qui Cereorum usum, ac Lucernarum, in ecclesias invectum, nesciat vero fuisse Numini acceptum, ut magno (3) referente Gregorio, Deus optimus maximus prodigiis id usque duxerit comprobandum?

6. Verum enim vero quae in hunc apud nos morem rite susceptum impii novatores, quae maximorum hostes Pontificum, quae petulantissimus demum, licet acris ingenii vir, Servatius (4) Gallaeus congesserint, aut potius evomuerint, Sodales optimi, vobis ducimus proponenda; ut ex iis nempe, quae reponam, argumentis, monumentisque vetustatis, a me collectis, optime dignoscatis, eos aequissimo sane jure aqua, et igne fuisse interdictos. Igitur hodierna hac oratione primum ingenue a gentibus ad nos deductum Cereorum usum ostendam, ad statuas numinum incensorum, quin et hominum vita functorum: argumenta deinde referam universa, quibus impius contendit suadere Gallaeus, morem hunc ab Ecclesiae patribus fuisse improbatum: tandem luce clarius, inspiciatis, efficiam, morem hunc ad nos usque derivatum, suisque per Urbis aeternae Praesules defaecatum erroribus, nec a vero, nec a recto summi Numinis cultu abhorrere. Haec autem eo vobis confido fore gratiora, quo non manibus certe plenis tam a priscis, quam a recentioribus rerum nostrarum scriptoribus, pertractata invenietis.

7. Intimam hujus moris originem ad primos fortasse homines orbis incolas referre non absurdum putaverim, innata quadam impulsos religione, qua Deo externis quibusdam indiciis laetum, gratum, devotumque animum significarent. Ea enim, meo quidem sensu ingenita quaedam apud homines religio viget; ad quam universi non tam instituti, quam nati potius esse videamur; ut proinde homines aut propitia precantes, aut infausta deprecantes, aut pro acceptis gratias agentes, sive demissam, sive passam, sive alacrem osten-

(1) Card. Baron. Annal. Eccl. t. 2. et 3. Murat. Annal. d' Ital. secol. 4. e 5.

(2) Anastas. Biblioth. in Vit. Gregor. III. et Joann. III.

(3) S. Greg. Dialog. 3. c. 30.

(4) Servat. Gallaeus in not. ad Lact. Firm. Institut. divinar.

ostenderent mentem, qua superum indulgentiam, aut favorem sibimetipsis conciliarent. Itaque morem hunc luminum incendendorum, ut laeto simul, ac religioso cultu deos observarent, primi (1) Aegyptii docuisse perhibentur, qui tradente Plutarcho (2), et recentius Vossio, et Blanchinio (3) a Kamo Noemi filio promanasse dicuntur; quosque omnium primos cultum numinum reperisse putant Herodotus, Diodorus, ac Lucianus (4). Quare innumeras luminum miriades, statutis annuis solemnibus, summoque intuentium stupore nedum in urbe Saitica, ubi festum agebant diem, verum etiam per totum AEgyptum narrat Herodotus (5) incendi consuetas.

8. Ab Aegyptiis Graeci deinde docti, atque ex his cultioris notae Attici, penes quos tria constituta luminum festa certis temporibus, nempe Panatheneis, Vulcanalibus, Prometheis (6); praeter mysticam illam Eleusiniorum pompam, in qua initiati ob dolorem amissae a Cerere filiae absque luminibus procedebant, sive, ut secretiori utar vocabulo, demeabant et cum copia luminum remeabant, ut ait proprie Apulejus, a paucis sane intellectus, his verbis (7): *Per currum rapacem, et terram tenacem, et illuminarum Proserpinae nuptiarum demeacula, et luminosarum filiae inventionum remeacula, et cetera quae tegit Eleusinis Atticae sacrarium*.

9. A Graecis ad caeteras gentes, et praecipue Romanas, religiosa fuit luminum ceremonia propagata. Itaque Cerei diis appensi, et adpositi, suisque ad pedes simulacrorum, candelabris incensi. Inde religiosi homines, ac devoti, deos, tamquam patronos, deorumque pedes et genua incerare dicebantur: et hinc clientium mos in Saturnalibus Cereorum (8) patronis dono missitandorum; ut sicuti Cereis colebant numina, ita suam erga patronos Cereis clientelam significarent.

10. Quin immo eo res apud Romanos processit, ut nedum hi numina, verum etiam homines, hominumque simulacra cereis honorarent: Tullius enim de Mario nitidum nobis (9) hoc exhibet testimonium: *Omnibus vivis statuae factae sunt; ad eas thus, et cerei*: et de Julio (10) Svetonius haec habet: *Ascendisse Capitolium ad Lumina, quadraginta Elephantis dextra, atque sinistra, lychnucos gestantibus*: Tan-

(1) Herodot. in Euterp. l. 2. n. 62. Clem. Alexandr. Stromat. l. 1.

(2) Plutarch. de Isid. et Osirid.

(3) Voss. l. 2. c. 17. Mons. Franc. Bianchini Stor. Univers. deca seconda p. 235.

(4) Herod. in Eut. lib. 2. n. 4. Diod. Sicul. l. 1. n. 15. Lucian., de dea Siria in princ.

(5) Herodot. d. l. 2. n. 62.

(6) Suidas in verbo λαμπαδος.

(7) L. Apul. Milesior. l. 6.

(8) Gronov. Antiq. t. 7. p. 153.

(9) M. Tull. de Offic. l. 3. c. 80.

(10) Sveton. in Jul. cap. 37.

Tandem sequiori Romanorum aevo conflagratum Antiochiae templum Apollinis tradit (1) Ammianus Asclepiadis incuria, qui simulacrum deae coelestis ante pedes statuit Apollinis; accensisque Cereis ex usu, cessit, qui causam incendio praebuere.

11. Ab his igitur ad Christianos, honorandorum praecipue martyrum caussa ritus videtur innocue derivasse, quem acrius notavit his (2) verbis apud Hieronymum Vigilantius: *Prope ritum Gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesiis, Sole adhuc fulgente, moles Cereorum accendi ..... Magnum honorem praebent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis Cereolis esse illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore suae majestatis illustrat*. Et licet Hieronymus Vigilantium insectans, istum ab idololatriae labe morem absolvat, ab idololatris tamen deductum his ingenue fatetur (3) verbis: *Non diffiteor: omnes, qui in Christo credimus, de errore idololatriae venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, et idcirco RECIPIENDUM est*.

12. Enim vero licet postrema haec Hieronymi verba satis sint, ut quam agimus, causa perorata esse videatur, non pauca tamen explicanda supersunt, quae prima nobis fronte non levem impietatis erroris impingunt. Tertullianus enim Christianos sui temporis arguens, quod nedum Ethnicos imitarentur, sed et forte superarent, his eos verbis (4) insequitur: *At nunc lucent tabernae, et januae nostrae: plures jam Ethnicorum sine lucernis, et laureis, quam Christianorum*. Quam ob rem in apologetico de perfectioris notae Christicolis sermonem habens, quasi ab Ethnico hoc more abhorrens, notanda ista (5) protulit verba: *Nec Lucernis DIEM infringimus*: Tertulliano Eliberitanum adstipulatur concilium, ubi haec (6) habentur: *Cereos PER DIEM placuit in coemeterio non accendi*.

13. His autem omnibus acriora Lactantii monita accedunt, qui cum de vero cultu verba facit his gentes coarguit (7): *Mactant igitur opimas, ac pingues hostias Deo, quasi esurienti: profundunt vina, tamquam sitienti; accendunt lumina quasi in tenebris agenti. Si coeleste Lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint, jam sentiant, quod non indiget lucernis eorum Deus, qui ipse in usum hominis tam claram, tam*

R 2 ca-

(1) Ammiam. Marcell. l. 22. p. 317.
(2) S. Hieron. advers. Vigilantium.
(3) Idem ib.
(4) Tertull. de Idclolatr. l. 1.
(5) Idem in Apol. c. 35.
(6) Concil. Eliberit. can. 34.
(7) Lactant. Firmian. Instit. divin. l. 6. c. 2.

candidam lucem dedit. Num igitur mentis suae compos putandus est, qui Auctori, et datori luminis, candelarum, et Cerorum lumen offert pro munere? Aliud ille a nobis exigit lumen, et quidem non fumidum, sed liquidum atque clarum, mentis scilicet, quod a poetis φῶς *nuncupatur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnoverit. Illorum autem dii, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint: quorum cultores, quia coeleste nil sapiunt, etiam religiones, quibus deserviunt, ad terram revocant: in ea lumine opus est, quia ratio, et natura tenebrosa est:* Hisce sane Lactantii verbis sibi plaudit Gallaeus; hisce nos confossos esse Catholicos gloriatur: haec demum in nos verba (1) funditat: *Perpendant haec verba pontificii, videantque, quomodo tueri possint novum illum, ac superstitiosum cultum Deo, ac sanctis, tamquam in tenebris agentibus, cereos accendentes. Haec sane satis evidenter demonstrant, Lactantii aevo non obtinuisse morem illum Candelas accendendi, qua enim fronte ausus fuisset culpare in gentilibus, quod et ipsi Christiani factitabant? Concedo quidem Christianos usos fuisse lucernis, et lampadibus; sed dico illos non ceremoniae, sed necessitatis causa illas habuisse: soliti enim erant, ut patet ex Plinio, stato die ante lucem convenire. Sed an non est stulta consequentia; ergo etiam Christiani de die debent accendere?* Huc usque Gallaeus.

14. Ita ne vero novum apud nos, Galleae, morem appellas quem quindecim ab hinc seculis in utraque tam nostra, quam orientali Ecclesia, nec sola necessitatis causa, diu, noctuque viguisse centena fortasse vetustatis monumenta demonstrant? Ita ne tibi plaudis, ita ne tibi bellus esse videris, qui te tuosque omnes noctuas vere lucifugas non agnoscas? Ut autem rem nullam hac tua esse nobis objecta moris novitate insaniorem inspicias, Athanasium illum Ecclesiae columen, Lactantiique sinchronum quaeso pervolvas; ipsiusque Cereos deplorantis Deo, et martyribus per Catholicos oblatos, ab Arianis ablatos (2), querimonias invenies. Vide igitur Galleae immane quantum tua discrepet a veritate sententia, quae nostrum novitatis morem insimulat.

15. Quod si primis ipsis Ecclesiae nascentis initiis septem notissimi ordines fuerunt, ad ipsamet nascentis Ecclesiae initia Cereorum ac Luminum usum revocemus oportet. Distincta siquidem in concilio quarto Carthaginensi de septem Romanae (3) Ecclesiae ordinibus doctrina recensetur. Acolytos ergo in ipsismet rerum no-

(1) Servatius Gallaeus ad Lactant. Firm. de vero cultu l. 6. p. 545.

(2) S. Athanas. in sua epist. ad Orthodox. in princip.

(3) Concil. IV. Cartag. cap. 2. et seq.

nostrarum initiis propria ministrasse munia fatendum erit : horum autem meminit Cyprianus ubi per acolythum ad Cornelium Urbis aeternae Pontificem (1) se litteras misisse significat : quin immo et ipsemet magnus antistes Cornelius, ad Fabium scribens (2), praesulem Antiochenum, quadraginta duos in Romana Ecclesia testatur acolythos ordinari consuetos. Si ergo tantus erat in ipsis nascentis Ecclesiae incunabulis acolythorum numerus, qui certo ritu Cereos, et candelabra deferrent, nemo est, qui non videat Cereorum usum ad ipsamet Ecclesiae incunabula esse revocandum.

16. At reponit Gallaeus haec noctis unice conticinio obtinuisse. Age vero Galleae, nonne Vigilantius ipsemet, tui ceteroquin similis, *Sole adhuc rutilante*, ait, *in ecclesia* introductum *moles Cereorum accendendi morem*? Morem is arguit, non certe inficiatur. Verum quem arguit Vigilantius, approbat Nazianzenus, qui sanctam paschatis diem Luminarium (3) nuncupat diem ; laudibus vero summis Paulinus extollit, et tibi Gallaee, tuisque aeternum, et dedecus, et silentium imponit, dum Felicis martyris diem his versibus natalem exornat.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris :
Nocte dieque micant : sic nox, splendorque diei
Fulget, et ipsa dies, celesti illustris honore
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis (4).

17. Verum qui uno tandem ictu Vigilantium, teque, o Gallaee, tuosque confodit omnes, adest Hieronymus, qui nedum ad martyrum reliquias, verum etiam ad Evangelii lectionem Cereos testatur incensos, non sane ut tenebrae pellerentur, sed ut, quam animo concepissent, laetitiam Christicolae demonstrarent : ita enim ait (5) : *Absque martyrum reliquiis per totas orientis ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria, jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum letitiae demonstrandum.*

18. Quid autem magis letitiae convenit, quid aptius, Gallaee, laetam, festivamque animorum significationem ostendit, quam lux undique micans, atque innumeris geminata lucernis? Julium legimus Caesarem, cunctis plaudentibus Quiritium agminibus, Capitolium ad lumina, elephantibus lychnucos gestantibus (6) ascendisse ; Nero-

(1) S. Cyprian. ep. 55.
(2) S. Cornel. pont. max. apud Euseb. in histor. l. 6. c. 33.
(3) S. Greg. Nazianzen. in Oration. de sacr. Baptismo.
(4) S. Paulin. de Nat. tertio S. Felic. mart.
(5) S. Hieron. advers. vigilant. c. 3.
(6) Sveton. in Cajum Jul. Caes. c. 37.

roniano vero ad Urbem reditu, si Dioni fidem adhibeamus, Urbs est universa Lucernis repleta, suffitibus, et festa fronde (1). Theodosio tandem, per Emonam in Alpibus Juliis sitam ingredienti, honoris gratia conspicuos *veste nivea senatores, purpura flamines, apicibus sacerdotes*, Pacatus ait (2) occurrisse: *Letitiae vero causa, subdit idem, portas sertis coronatas, undantes auleis plateas, ACCENSISQUE FUNALIBUS AUCTUM DIEM*. Sed ut propius accedamus ad nostra, nulla alia laetitiae significatione usos esse suos erga Fulgentium Afrum episcopum ab exilio redeuntem, cives, quam laeto per omnes prolixi itineris vias (3) occursu cum Cereis, Lucernis, et arborum festa fronde. Ex quibus sane universis quanta cum Hieronymi verbis juncta sit veritas, neque Gallaeus ipsemet fortasse poterit diffiteri.

19. At favet Gallaeo Lactantius. Quid inde? Neque hic primus erit error Lactantii, neque postremus. Mitto enim libens, quae Gallaeo et Lactantio objici possent: Lactantium nempe indicato loco ullum nec verbum de Christianis fecisse, sed gentium unice morem lumina diis incendentium damnasse. Mitto etiam haec: cum Gallaeo liberaliter agam: fatebor Lactantium, quae in gentibus damnasset, in Christicolis fuisse improbaturum. Verum quae scripsit oratoria sermonis volubilitate Lactantius, dialecticam quaeso ad trutinam revocemus. Non suae mentis compotem Lactantius appellat, qui Datori luminis Cereorum Lumen offert pro munere: Fatuos igitur censet (4): *Qui Deo accedunt lumina, tamquam in tenebris agenti, cum non indigeat lucernis eorum Deus*. Bona verba, Lactanti. Quid nam quaeso in universa hac mole terrarum praetiosus dari, aut excogitari valeret, quaenam auri, aut argenti, quae margaritarum, aut lapillorum dives linea, quae tandem Coelo, Terra, Marique gigni, aut procreari umquam possunt, quorum Deus indigeat? Ergo ne quia nullius sane rei Deus indiget, sacrificia omnia exulabunt? nullo Deus externo signo colendus? nullo thure honorandus? nulla penitus oblatione demulcendus? Si vera essent ista Lactanti, neque ulla omnino gentes divos suos oblatione coluissent, quippe quae satis recte callerent nulla superos mortalium munerum largitate indigere. Quin et ipsum audies ajentem Senecam (5): *nec lumine deos indigere, neque homines quidem fuligine delectari*: nullas tamen gentes, licet morum expertes, immanitate barbaras, terris

(1) Dio Cass. siv. Xiphilin in Vit. Neron.
(2) Pacatus in Panegir. Theodos. c. 37.
(3) In Vit. S. Fulg. ex Lipsio Flector. c. 3.
(4) Lact. Firm. de vero cultu l. 6. c. 2.
(5) L. Anneus Seneca ep. 96.

ris disjunctas, invenies, quae superos non crediderint externa quadam animi significatione conciliandos. Devotam hanc vero, Lactanti, animorum significationem nonne Deum metipsum optimum maximum plurimi olim fecisse constat? *Respexit Dominus* (1) *ad Abel, et munera ejus, ad Cain vero, et ad munera illius non respexit*. Non igitur Lucerna, nec Cereo, neque ullo egit alio aut lumine, aut munere, qui luminum, et munerum omnium Auctor, et largitor est optimus; verum a laeto luminum obsequio, ab humili, devotaque animorum significatione, oculos non avertit. Nec refert idem idolis fecisse gentes; non enim eas quod id fecerint, sed quod idolis fecerint detestamur: ut ait Hieronymus (2).

20. Enim vero neque primus, ut dixi jam, neque postremus hic error Lactantii, qui tantam Gallaeo valuerit conciliare fiduciam. Ut enim reliquos mittam, risu potius quam venia dignum, Sodales, putabitis, quod de Servatore Christo ait, ideo crurifragio, cruciariis obvio, non affectum, *ne laesum, ac dimidiatum corpus, ad resurgendum* (3) *inhabile redderetur*: illud vero omnino impium, quod de eodem Servatore nostro contra Evangelii fidem subdidit: *Nec umquam* (4) *se ipsum Deum dixit; quia non servasset fidem, si missus ut deos tolleret, et unum assereret, induceret alium, preter unum. Hoc erat non de uno Deo facere praeconium, sed suum proprium negocium gerere, et se ab eo, quem illustratum venerat, separare*:

Spectatum admissi risum teneatis amici (5).

21. Enervatis nunc Gallaei a Lactantio mutuatis argumentis, Tertulliani, et synodi Eliberitanae perpendenda sunt verba. Tertullianus sane aegre fert: *Pluribus* (6) *Christianorum januas lucernis ornari, quam Ethnicorum*: et licet proprie Tertullianus fulgentes lucernis januas dixerit Christianorum, non referta coemeteria, aut ornatas ecclesias; attamen de coemeteriis Eliberitana loquitur synodus, cui placuit: *Cereos per diem* (7) *in coemeterio non accendi*. Non equidem, Sodales, inficior primis illis nascentis ecclesiae temporibus neophitos quosdam, ad fidem conversos, a quibusdam superstitiosis ritibus aegre divelli potuisse, de quibus peculiari agam in posterum oratione. De his sane Tertullianus (8), de his patres Eliberitani locuti sunt. Prohibenda ergo erat occasio neophitis illis, qui gentium consuetudinem non omnino bene defaecabant, sed morem vetustum ita, uti in gentibus acceperant, retinebant.

22. Ve-

(1) Genes. c. 4. v. 4. et 5.
(2) S. Hieron. advers. Vigilantium.
(3) Lact. Firm. de Vera Sapient. l. 4. c. 26.
(4) Idem ib. c. 14.
(5) Horat. in epist. ad Pison. in princip.
(6) Tertull. de Idololatr. l. 1.
(7) Concil. Eliberit. canon. 34.
(8) Caranza ad dictum Conc. can. 34. Boldetti de Cemeterj l. 1. c. 12. p. 44.

22. Verum enim vero licet quidam ex neophitis istis imperite egisse dici possent, non eos perinde idololatriae arguendos putaverim, si in cordis simplicitate haec egissent. Optime his favet Hieronymus (1) qui adversus Vigilantium haec ait: *Quod si aliqui propter imperitiam, et simplicitatem secularium hominum, et religiosarum foeminarum, de quibus vere possumus dicere: confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore martyrum faciunt; quid inde perdis? Causabantur olim, et Apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt, neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres Lumine Cereorum; et tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur: et quicumque accendunt Cereos secundum fidem suam, habent mercedem dicente Apostolo: unusquisque in sensu suo abundet. Idololatras appellas hujusmodi homines*? Huc usque Hieronymus.

23. Quid igitur mirum, si Cereorum usum, ac Lucernarum, sanctissimi Urbis aeternae Presules sanctificaverint, atque ad verum Dei, ac martyrum cultum rite, recteque duxerint transferendum? Inde igitur invecta Cerei, Luminumque paschalium a Zosimo (2) consecratio. Inde Cereorum usum, et Luminum per universas ecclesias receptum cum Gregorius Nissenus, tum Theodoretus (3) affirmant. Inde auctor sermonis inter Augustinianos nedum non improbat, sed morem hunc ad augendum per haec potissimum (4) hortatur verba: *Qui possunt, aut cereolos, aut oleum, quod in cicindelibus mittatur exhibeant*: Inde tandem variorum Urbis aeternae Pontificum ad Caesares, ac Reges epistolae, quas exhibent codex Carolinus, atque (5) Anastasius pro luminibus ad Petri sepulchrum diu, noctuque concinnandis. Quas ob res, quae novitatis nos arguens, evomuit potius Gallaeus, quam scripsit, non aliter sane, quam vitrea fracta, et somniorum interpetramenta censebimus.

24. Paucissima nunc de Cereis in ecclesia distributis, ac per aedituos dono postridie missitatis, dicenda supersunt. Morem hunc Baronius, Thomasinius, Serarius, a Lupercalibus repetunt (6). Verum quid quaeso commune habeant cum nuda (7) Lupercorum excursione, foedaque corporum nuditate, quid cum caprina pelle, quid cum scuticis, ictibusque in obvios inflictis; quid, inquam, cum

(1) S. Hieron. advers. Vigilant. c. 3.
(2) Nicefor. hist. eccl. lib. 3. Gionov. c. 8. p. 2413.
(3) S. Greg. Nissen. in Vit. S. Greg. Thaumat. Theodoret. de Evang. verit. l. 8. in fin.
(4) S. Augustin. serm. de Tempore 215.
(5) Codex Carolin. in epist. passim, Anastas. Biblioth. in Vit. Pont. passim.
(6) Baron. in notis ad Martyrol. Thomasin. l. 2. de fest. cap. 11. Seraf. de Procession. l. 1. c. 3. n. 4.
(7) Cantel. de rep. Rom. de Sacrif. p. 14. Ovid. Fastor. 2. v. 267.

cum his commune habeant Cereorum incensiones, et munera, prorsus non video. Ego sane a Saturnalibus repeto, conjectura tamen ductus, non argumento. Non difficilem, ni fallor, aperit viam Macrobius, qui, a quadam edoctus homonymia, non injucundam Saturnaliorum assignat originem: ut enim tradit (1) ipse: *Cum diu humanis capitibus ditem, et virorum victimis Saturnum placare se crederent, Herculem ferunt suasisse, ut faustis sacrificiis infausta mutarent, aras Saturnias, non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes; quia non solum hominem, sed et lumina* φῶτα *significat: inde mos per Saturnalia missitandis Cereis coepit*: huc usque Macrobius. Si ergo Christus nedum verus homo, sed verum etiam Patris Lumen existat; si vere φῶς dicitur, immo φῶς ἐκ φωτός, hoc est Lumen de Lumine (2) a patribus pronunciatur universis, quid aptius memoratis umquam nostris convenit solemnibus, ubi templo Christus est praesens, ubi se lumini lumen offert, quam ut laeta luminum accensione verum hoc de Lumine Lumen, hoc, inquam Lumen ad gentium revelationem editum, devota in templum, quo se offert, supplicatione prosequamur? Quid magis decet, quam ut mutua Christicolarum charitate, Cerei tamquam veri, mysticique luminis symbola, dono missitentur, et summa cum veneratione osculentur, custodiantur? Mea haec brevis est, recensque super hac re conjectura. Quod si rem, Sodales, non acu tetigerim, non laudem, sed veniam peto. Et haec de sacro Cereorum, et luminum usu, adversus Gallaeum, suosque omnes, ut potui, adnotavi; de caeteris moribus a gentibus ad nos derivatis, breviori, faventibus Superis, oratione dicturus.

Nonis Februariis 1777.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

(1) Macrob. Saturnal. l. 1. c. 7. et c. 12.
(2) Simbol. Nic. sive Constantinop. Prud. contra Sabellian. ibi. Totus et ex toto Deus est de lumine lumen.

DISSERTATIO II.

De quorumdam Neophitorum ad superstitiones gentium retinendas proclivitate.

Illud, Sodales, persaepe soleo ante oculos ponere, illud crebris usurpare sermonibus, rebus cunctis quemdam velut (1) orbem inesse, ut, quemadmodum temporum vices, morum ita vertantur: nec pejora omnia apud veteres aut meliora, sed et mediam, et nostram, si vultis, etiam aetatem, multa vitiorum incitamenta, multa imitanda laudis exempla contulisse. Enim vero plerique hominum enormes ita sunt acti in pueritia temporis laudatores, ut minorum (2) perpetuam ipsis censuram, et castigationem tributam esse credideris. Itaque hi, quoties nostrae audiunt laudes aetatis, tam vehementer excandescunt, tam severa tristitia violari aures suas, obscaeno veluti sermone, dolent, ut ad haec non magis stupeant, quam expaveant. Contra vero pauci quidam alii ita sunt vetustatis accusatores, ut quae nostrum non sapiant morem, nigra velut caligine adflata condemnent. Mea quidem sententia neutri, et utrique falluntur; cuique enim aetati vitia, cuique sum arbitratus inesse virtutes. *Noi secondo l' usanza*, ait ad rem (3) Muratorius, *se miriamo vizj nel popolo, subito caviam fuori i primi secoli della religion Cristiana, come lo specchio di quel, che si dovrebbe fare oggidì; e certo è, che grandi esempj di virtù s' incontrano in que' tempi; ma neppur mancavano allora i vizj: e le opere di Eusebio Cesariense, e de' santi Gregorio Nazianzeno, Giovanni Grisostomo, e Girolamo, per tacer di altri, ci assicurano non esser stati sì fortunati i lor tempi, che facciano vergogna ai nostri*. Quas ob res, ut ad rem nostram propius accedam, fateor, primos sane Christicolas morum fuisse simplicitate, castitate, sanctitate conspicuos, animi vero firmitudine omnium nominum, aetatumque linguis omnino laudandos: verum eos non levi arbitror errore perfusos, qui primorum Christicolas temporum ita ubique commendant, ut omnia putent eorum dicta, factaque, quasi sesamo, et papavere sparsa; graviorisque poena alios illos dam-

(1) Corn. Tacit. Annal. l. 3. anno V. C. 755. p. 43.

(2) Horat. in ep. ad Pison.

(3) Annal. d' Ital. t. 2. part. 2. edit. Rom. p. 161. ad an. 366.

Digitized by Google

damnandae novitatis amatores censeo dignissimos, qui nostrorum, atque Urbis aeternae Praesulum conviciatores, ipsiusmet antiquitatis, quam accusant, vitia tantum docent, et discunt. Nemo autem vestrum ignorat, Sodales, remotos illos toto Orbe Brittannos, iisque affines Batavos, caeterosque Calvinianae novitatis propugnatores, illam nobis dies noctesque Orthodoxis obijcere Ethnicorum damnandam, ut ajunt rituum, ac ceremoniarum receptionem, quam recentiori circumscribendam reformatione censuerint. Ajunt quippe maximos Romae Pontifices eo fuisse in recipiendis vetustioribus gentium ritibus procliviores, ut religionem pene infecerint universam. Ego vero, ut superiori descripta oratione disserui, uti aliquas non inficiarer deductas a gentibus ceremonias, defaecasse, ac sanctificasse Pontifices, ita illud hodie probare contendam non eo fuisse Neophitis obsequentiores, ut multa permiserint, aut toleraverint, sed ea fuisse vel praecipua parcitate laudabiles, ut vere damnandos gentium ritus, nedum in nostra nunquam sacra transtulerint, verum etiam omnino abolenda curaverint. Hoc igitur erit nostrae argumentum orationis, quo planum fiat, atque evidens, novos quosdam veterum aetatum Christicolas certas quandoque morum consuetudines, unde recentius exierant, non ita rigide abdicaſſe; ut proinde Romani Praesules, caeterique in eorum sollicitudinis partem assumpti antistites, quae vera damnanda erant, perpetua oratione damnaverint: quas ob res reliquos illos gentium ritus, quos defaecari, et in sacra nostra transferri posse authumaverint, magna cum ratione, summa cum laude translatas esse judicetis.

2. Ut autem pateat immane quantum a vero aberrent, qui omni referta sanctitate nascentium reputant incunabula Christianorum, vel illud suadere potest, plures inter ipsos vetustis ita fuisse moribus, immo etiam erroribus assuetos, ut quae olim Ethnici acceperant, in quibus diu vixerant, terrena quadam religione ducti a veri Numinis cultu non aliena reputarent. Quare quos maximus ille gentium Apostolus primos genuit, atque enutrivit ad fidem, eos uti damnanda temporum, ac dierum observatione inquinatos ita insectatur, ut timeat, ne latices in pertusum cribrum effuderit suos: ita (1) enim ait: *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos;: timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis*. Frustra vero ipsum insudasse arbitrabimini, si, ut reputat (2) Origines, festos deorum dies quosdam ex Christicolis ita observasse, ut a diebus, ve-

S 2

(1) S. Paul. ad Gal. c. 4.

(2) Orig. contra Celſ. l. 8.

vero Numini consecratis, non omnino ipsi dividendos censuissent.

3. Neque sane quis putet leviores errorem hunc radices egisse, ut vel uno ſtatim Pauli evulsum fuerit eloquio: quandoquidem vel sequiori aevo proniores in eodem servando more plures fuisse Christicolas non ignoramus. Diem enim Jovis aeque, ac Dominicum, ita observabant, ut ab operibus viri, mulieres a lanificio abhorrerent: ita enim loquitur auctor sermonis olim S. Augustino tributi (1), diras in eos vovens, minasque: *Audivimus, quod aliquos viros, et mulieres ita Diabolus circumveniat, ut quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium. Itaque coram Deo, et angelis ejus contestamur, quod quicumque hoc observasse voluerit, nisi per prolixam, et duram poenitentiam tale sacrilegium emendaverit, ubi arsurus est Diabolus ibi, et ipsi damnandi sunt: isti enim infelices, et miseri, qui in honorem Jovis in quinta feria opera non faciunt, non dubito, quin ipsi opera die Dominico facere non erubescant; ideo quoscumque tales esse cognoveritis, durissime castigate; et si emendari noluerint, nec ad convivium vestrum eos venire permittite.*

4. Verum in diebus hisce servandis, nec uno deorum cultu quosdam ex Christocolis ferias egisse; verum etiam superstitiosa siderum observatione ita detentos esse patebit, ita praesentibus coelorum adspectibus occupatos, ut facilius ipsis fuerit stellam invenire, quam numen. Itaque illos (2) increpat Augustinus per ipsissima haec verba: *Eos enim culpo, qui dicunt: non proficiscar hodie, quia Luna sic fertur; vel proficiscar, ut prospera cedant, quia ita se habet propositio siderum: non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem: non plantem hoc anno vineam, quia bisextus est.*

5. Huc autem, Sodales, eos compello impiae novitatis asseclas, sacerrimos illos religionis reformatores, qui superstitiones pene omnes Praesules pronuciant recepisse Romanos. Intorto egomet circa brachium pallio gradum ad praelium componens, Leonem, et quidem magnum ducem habeo Pontificem, superstitionum, malique cultus acerrimum propulsatorem, qui et pontificatus causam una tuetur, et meam. Is enim superstitionem Christicolarum quorumdam increpans Romanorum (3), eos his verbis insequitur: *Per istos remedia aegritudinum, judicia futurorum, placationes daemonum, et depulsiones promittuntur umbrarum; adduntur et illi, qui totam humanae vitae conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, et quod est aut Divinae voluntatis, aut nostrae, indeclinabilium dicunt esse fatorum.*

6. Tan-

(1) Serm. olim 215. de Tempore nunc CCLV. in Appendice.
(2) S. Aug. ep. LV. ul. CXIX, c.7. n.13.
(3) S. Leo Magnus serm. 7. de Nativit. Domini p. 49.

Digitized by Google

6. Tanta igitur, tamque foeda superstitio obscurioris fuit vitium aetatis, non sacratissimorum error Pontificum, quibus cordi nil magis esse jam vidimus, quam ea penitus abolere, quae vel omnino non amplectenda, vel nullo saltem defaecanda medicamine judicarent. Licet autem optimi Praesules ea omnia arguerent, increparent, laterem adhuc lavare videbantur. Adeo vana siderum observatio invaluerat, ut vel in ipsismet Christianorum sepulchris quidam recondenda Christicolae siderum monumenta censerent, Armillam enim aeneam in Gordiani, et Epimachi coemeterio repertam, duodenisque coelestibus insculptam signis nobis tradit sedulus (1) christianae antiquitatis ostensor Boldettus. Eodem pertinet inscriptio illa a Christiano altero effossa monumento (2) atque optimo viro Blanchinio dono data, ubi coelestes siderum positiones scrupuloſa hujusmodi descriptione a Scipione Maffejo (3) ita correcta adnotantur.

A Ω

PVER. NATVS
DIVO. JOVIANO. AVG. ET
VARRONIANO. COSS.
ORA. NOCTIS. IIII
INVXIT. VIII. IDVS. MADIAS
DIE. SATURNIS. LVNA. VICESIMA
SIGNO. ..APRIORNO. NOMINE. SIMPLICIVS.

7. Neque id quaeso conseatis, Sodales, facinus fuisse paucissimorum: errorem siquidem hunc vulgatissimum Augustinus (4) fuisse testatur his verbis. *Vulgatissimus est error iste, ut vel in agendis rebus, vel in expectandis eventibus, negotiorum suorum ab astrologis, et Chaldaeis notatos dies, et menses, et annos, et tempora observent*: quin et aevo usque infimo Nicolaus ad Bulgarorum consulta (5) respondens, atque in eodem evellendo insudans errore, verba ista fundit: *Praeterea consulitis .... an sit aliqua dies, in qua non oporteat ad praeliandum exire ... Non est ulla dies, in quibuscumque negociis incipiendis, vel exercendis penitus observanda .... cum non sit in diebus spes nostra ponenda ..... nam illa quae commemorastis, idest diei, et horae observationes, incantationes, joca, et iniqua carmina, atque auguria, pompae, ac operationes diaboli sunt.*

8. Enim

(1) Lib. 2. cap. 14. p. 500.
(2) Boldet. de Coemeter. l. 1.c. 19. p.84.
(3) Maffejus Museo Veron. p. 252.
(4) S. Aug. in Exposit. epist. S. Pauli ad Galat. c. 4.
(5) Nicolaus papa I. ad Consulta Bulgaror. artic. 34. et 35.

8. Enim vero nec una, Sodales, dierum observatione veteres patebit aliquos detentos esse Christicolas: nam et ariolos, et aruspices, et somniorum interpretes, et mathematicos, et maleficos, quin et pithones ostendam fuisse illis maxime acceptos: denique animo ad superstitionem ita fuisse morigero, ut neque dictum eorum neque factum, non capitis, non linguae motum damnanda vacuum religione inveniatis. Ad aurispices enim quod pertinet, ariolos, et mathematicos (genus nempe hominum, ajente (1) Tacito, *quod vetabitur semper, et retinebitur*) eo constat illos fuisse receptos, ut neminem vestrum lateat, Sodales, quantas Marcellino (2) tradente, Christiani concitaverint turbas, quantas et poenas luerint, dum, qui Valenti successor esset futurus, ariolo vellent duce praenoscere: quamobrem cum in horrida illa subsecuta caede Theodosium Theodosius patrem amisisset, qui deinceps ab aruspice, ariolo, aut mathematico responsa quesissent ultore gladio, factus postea Imperator, feriendos esse, hac (3) orbi Romano lege indicta. *Nemo aruspicem consulat, aut mathematicum, nemo ariolum: augurum, et vatum prava confessio conticescat; etenim supplicium capitis feret ultore gladio prostratus quicumque jussis obsequium denegaverit*.

9. At validas ita sacrilegium radices egerat, licet jamdiu gentium sacra exulassent, ut regum etiam Longobardorum, quin, et Francorum legibus opus fuerit, quae vitium evellerent: Liutprandi siquidem lege trigesima (4) cautum est, *nequis se conferat ad ariolos, vel aruspices, ad responsum ab illis accipiendum*: magni vero Caroli sanctione (5) hoc praecipue jubetur: *Nemo sit, qui ariolos suscitetur, aut somnia observet; nec sint malefici, nec incantatores, nec pithones*.

10. Verum ad ineptiora veniamus. Ecce tibi alius alio irrupit abusus: aurea quippe veterum regum, atque Alexandri precipue Magni, numismata, ad praetiosorem pedum ornatum calceis Christicolae quidem apponere consueverunt, ut perpetua illos oratione Chrysostomus increpare non desinat inquiens: *Quid vero diceret aliquis de .... circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? Dic mihi, an hae sunt expectationes nostrae; ut, post Crucem et mortem Dominicam in gentilis regis imagine spem salutis habeamus* (6).

11. Sed

(1) Tacit. in histor. l. 1.
(2) Ammian. Marcellin. in hist.
(3) Leg. 4. tit. 16. l. 9. cod. Theodos.
(4) Leg. 30. l. 6. legum Longobard.
(5) In Capitular. Carol. Magn. edit. Baluzii t. 1. p. 518.
(6) S. Jo. Crysostom. catecbes. II. ad illuminandos.

Digitized by Google

11. Sed quoniam de calceis incidit sermo, num Octaviano (qui ut dirum omen horrebat, si mane sibi calceus sinister pro dextro (1) indueretur) num Octaviano, inquam, existimatis, Sodales, sapientiores illos fuisse Christicolas, de quibus haec Hipponensis (2) narrat antistes? *Plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit ferire audeant .... Hinc cum ille etiam limen calcare, cum ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutaverit; redire domum, si procedens offendetur; cum vestis a soricibus roditur, plus premere suspicione futuri mali, quam praesens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed vero monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.*

12. Utinam vero illos futilia haec tantum ejus aevi Christicolas ostenta detinuissent: gravioribus quippe sacrilegiis verum Numinis cultum infecisse in ipsamet luce terrarum Roma, in ipsamet sacratiori Petri basilica, non sine magno animi angore Leo ille vere Magnus per haec praecipue verba testatur (3): *De talibus institutis etiam illa generatur impietas ut Sol inchoatione diurnae lucis exurgens a quibusdam insipientioribus de locis eminentibus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quae uni Deo vivo, et vero est dicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum arae superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, et curvatis cervicibus in honorem se splendidi Orbis inclinent: quod fieri partim ignorantiae vitio partim paganitatis spiritu multum tabescimus, et dolemus.*

13. Quid quod indeclinabilem fatorum vim pertimescere, quin, et omina more quodam novo captare, fata denique ipsa dictare consueverant? Ut enim, teste (4) Tertulliano, in partu ab Ethnicis Lucinae ejulabatur, per totam hebdomadam Junoni mensa proposita, atque ultima die fata scribunda advocabantur, ita scribente (5) Chrysostomo simili quadam Christiani mutuata superstitione inficiebantur, sequenti omen modo captantes, fatumque scribentes: quidam enim, infantibus nomen impposituri, lumina multa accendenbant, suum cuique candelae nomen imponentes, Petri, vel Stephani, aut Zosimi, aut Procopii, aut similium: a candéla vero, quae caeteris supervixerat, nomen puero imponebant; omenque inde captantes, ea infanti fata dictabant. 14. Ad

(1) Sveton. in Aug. c. 92.
(2) S. Aug. de doct. Christ. l. 2. c. 20.
(3) S. Leo Magn. in serm. de Nat. Dom. pag. 49.
(4) Tertull. in l. de Anima.
(5) S. Jo. Chrysost. in cap. 4. epiſt. 1. S. Pauli ad Corint.

14. Ad haec ea sane videntur accedere, quae Bonifacius martyr ad Zaccariam Rom. Pont. nimium dolens scribit, orans una, atque obsecrans, ut Roma eam praecipue jubeat exulare paganitatem, quae Alamanis, Bajuariis, et Francis, magnum praebebat imitandae superstitionis exemplum. Ita (1) enim ait: *Alamani, Bajuarii, vel Franci, si juxta Romanam Urbem aliquid viderint ex his peccatis, quae prohibemus, licitum, et concessum putant .... Sicut affirmant se vidisse annis singulis in Romana Urbe et juxta ecclesiam sancti Petri in die vel nocte quando kalendae Januarii intrant paganorum consuetudine choros ducere per plateas et acclamationes ritu gentilium ..... dicunt quoque se ibi vidisse mulieres pagano ritu phylacteria et ligaturas in brachiis et in cruribus ligatas habere, et publice ad vendendum venales ad comparandum alii offerre.*

15. Quid vero de Longobardis dicam baptismo licet renatis, qui nefarium licet Arium tandem aliquando reliquerint, gentium tamen mores vix umquam abdicare voluerint: haec enim illi, media inter veri Numinis obsequia, haec sane infanda miscebant, ut arbores quasdam, quas sanctivas, sacrivasque vocabant, adorarent, utque religioso viperae cultu detinerentur. Profecto arbores has medio foro locatas, propriis viperam laribus asservatam, votis colebant, et sacrificiis. Eximium hujus impii facinoris monumentum sancti Barbati exhibet vita a Bollando (2), et Ughellio recensita: Beneventano enim oppido anno DCLXIII. Constantis obsidione liberato, Barbatus, nondum episcopus, superstitionem illam, publica ad populum repetita oratione, improbavit; donec securi ad infandae arboris radices acta, oppidum sacrilegio exolvit; viperam vero, eamque praegrandem, auroque insignem, inter ducis Romoaldi lares servatam, Theoderada ducis uxore opem praebente, ignibus tradit, ac mirae magnitudinis calicem, pateramque, ad Domini coenam, populo exhibendam, conflavit. Inde igitur Liutprandus Rex eos gravi poena multandos duxit: *Qui ad arborem, quam rustici sanctivam vocant, sacrilegium fecerint* (3).

19. Ex usque dictis duos, haud leves, alterum Muratorii, Maffei alterum, virorum caeteroqui clarissimorum, nostraeque Italiae luminum, corrigo errores; et gemina insimul explico praecipua Longobardorum monumenta, quorum alterum templo adhuc locatur Ambrosiano, alterum Veronae asservatur. Aeneus igitur medium

---

(1) S. Bonifac. mart. episc. Maguntin. in epist. 133. ad Zaccar. Rom. Pont.

(2) Bolland. ad diem 19. Febr. Ughell. Ital. sacr. in. archiepisc. Benevent.

(3) In lib. leg. Longob. leg. 30. l. 6.

dium circa templum, columnae insidet anguis, cujus significationem plures explicare conati sunt; mea tamen sententia adhuc nemo intellexit. Muratorius (1) aeneum anguem aliam nullam ob caussam putat medio templo locatum, quam ut Christi in crucem acti typum exprimeret, juxta illud (2) Joannis: *sicut Moyses exaltavit serpentem aeneum, ita exaltari oportet filium hominis*.

17. Ego vero (illa penitus rejecta traditione, qua anguem, non aureum, atque argenteum, sed aeneum, quidam a regio Byzantii thesauro detractum anno MII. adsportatumque putarunt: quam sane traditionem nec ulla dignam Muratorius animadversione iudicavit) sic censeo, sic existimo, nil aliud illum fuisse anguem, quam eam viperam jamdiu a Longobardis cultam, cujus idolum, uti et alterum, sive Bacchi, sive Herculis e conspectu anguis adpositum, atque a ruderibus forte effossum, rudes aevi medii Mediolanenses, templi ornandi, non ea colendi causa, locaverint: idque ex pluribus conjicio. Primo enim illud adverto, Bacchi simulacrum, quod contra anguem eodem templo exhibebatur, non sane ibi religionis, sed ornatus unice causa locatum. Ergo anguis positus, ut templum ornaret, non ut Christum exprimeret. Secundo neque illud omitto, anguem Longobardorum fuisse idolum, quorum urbs post Ticinensem praecipua Mediolanum. Denique, quod omnium caput est, ex commentariis Angeli Decembrii, ab eodem met (3) Muratorio relatis, rem colligo notatu dignissimam. Licet enim Decembrius, qui seculo quarto ac decimo scripsit, plures in hoc aeneo angue invenerit fabulas, hoc nobis tamen per haec praecipue verba largitur indicium, quod ipsemet a majoribus tradit acceptum: *Anguem aeneum in medio templi super columna, laevaque adstantem sinuoso volumine, quod* ARIANORVM IDOLVM ESSET.

18. Rem esset Decembrius agressus sane difficilem, si Arianos anguis religione detentos probare debuisset: attamen ista Decembrii verba diu, multumque erant Muratorio advertenda; licet nec verbi a semet prolati vim Decembrius ipse calluerit. Non enim eo anguis Arianorum dicebatur idolum, quo anguem colere Arius unquam docuisset; Sed *Arianorum* dicebatur, hoc est, *Longobardorum*, quia nempe hi *Ariana rubigine* inficiebantur. Quare cum Gallia, atque Italia ferme tota Arianus nemo, si Longobardos excipias, ideo hi sub Arianorum rectius vocabulo veniebant. Haec omnia evidentius comprobant vetustissima illa Mediolanensis urbis chronica Novariae asservata, atque ab eodemmet Muratorio rerum

(1) Diſſert. 59. p. 300. (2) Ioan. c. 3. v. 14. (3) Diſſert. 59. p. 302.

Italicarum admixta (1) scriptoribus, ubi haec nitide habentur, quae, ni fallor, quaestioni huic nostrae finem imponunt: *Postea supervenerunt Longobardi, qui viperam auream, et quasdam arbores adorabant, et ARIANAM HAERESIM sapiebant*. Si ergo viperam adorare Arianorum id esse arbitrabantur; et anguis in templo positus Arianorum vocabatur idolum, jam, vel e collectis a semet monumentis, videre poterat Muratorius quid anguis esset medio templo locatus.

19. Quin ullum faciat negotium Mediolanensis anguis moles ingens, quae non satis decenter viperae aptatur; namque ex modo prolata Barbati vita nitens monumentum eruitur, quo res omni sublata manet indagine. Barbatus quippe viperam auream, Longobardi ducis idolum, *in mirae magnitudinis calicem, pateramque convertit*. Atqui si Anastasium, Sodales, sedulo perpendistis, dum donaria Pontificum templis locata deſcribit, immensae (2) propemodum molis calices, paterasque ad corpus et sanguinem Domini, populo exhibendum, aptissimas invenietis, ut proinde viperam Arianorum, ingenti mole conspicuam, Arianos conflasse Longobardos ab historiae veritate minime abhorreat. Haec sane Muratorius, haec caeteri Mediolanenses advertere debuissent, dum tot, tamque varias, atque a recto aberrantes, de hoc Mediolanensi angue protulere sententias. Ita nobilissima Italiae civitas (ut olim Archimedis sepulchro (3) Syracusis evenit) sui adhuc monumentum templi ignorasset, nisi ab Asculano tandem homine didicisset.

20. Sed ad alterum Maffej viri clarissimi coarguendum errorem nostra pergat oratio. Is ad calcem (4) musaei Veronensis, a se in lucem editi, praeclarissimum Longobardorum exhibet asservatum Veronae monumentum, sarcophagum nempe anaglipho caelatum opere, cujus locum crux obtinet praecipuum; in inferiori parte Christus duodeno cum agmine visitur; in superiori plures insculpti homines, quorum alii viperae, arae insidenti, patera libant, alii arbores thure fumigant. Itaque Scipio qui ad indicatos a nobis Longobardorum mores animum (5) non advertit, in ea, quam ad Benedictum XIV. scripsit epistola, monumentum hoc adeo *clario indigere* dixit *Apolline, ut mortalis Oedipus nemo par huic enodandae foret indagini*. Mortalis, ego, nec Oedipus; verum qui nullo conami-

(1) Murator. Rer. Italic. ſcript. t. 16.
(2) Anaſt. Bibliothec. in Vitis Pont
(3) M.T.Cic.Tuſc. Quaest. l.5.c.65.e 66.
(4) Scipio Maffej. in Muſ. Veron. p. 484.
(5) In epist. Dedic. ad Bened. XIV.

mine rem aperiam, nec sane difficilem. Nil enim mea quidem sententia, hoc monumento elegantius, nil profecto nitidius ad morem illum Longobardorum erga viperam, sanctivasque arbores exprimendum; ut proinde somnium somniasse putem Scipionem, cum intactam omnino linquens fumigatorum thure arborum significationem, in insculpta, insidentique arae, vipera se draconem illum vidisse dixerit, cui olim Daniel in os massam objecerit. De hac re igitur KEKPIKA.

21. Ex his, quae hactenus dixi, mirum in modum, Sodales, comprobare sum arbitratus, quanta veterum plures superstitionis caligine obvolverentur, quantis abriperentur erroribus, quanta denique Urbis aeternae Pontifices sapientia, studio, sedulitate usi fuerint, ut religionem nulla penitus infectam rubigine conservarent. Si ergo veras superstitiones, si gentium ritus vere damnandos perpetua oratione ab ipsis damnatos nos vidimus, illud recta consequitur, ut reliquos illos, nec sane minimos gentium ritus, de quibus in proximis orationibus fiet mentio, quosque Urbis, et Orbis Praesules defaecari, et in sacra nostra transferri posse censuerunt, magna cum ratione, summa cum laude, translatos esse judicetis.

Idibus Aprilib. 1777.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO III.

Quos Romani mores erga vita functos servaverint, quos ab illis Christicolae acceperint.

Moribus, Sodales, antiquis, scribit Ennius, rem stetisse Romanam: quam quidem vatis sententiam, (seu brevitate carminis perpensa, seu veritate), e quodam veluti oraculo (1) effatam Tullius exsitimat. Profecto non ille vobis a vero penitus abscessisse videbitur, si vel unice inspiciatis quanta cum contentione Quirites, quanta cum animorum tenacitate patrios ubique mores, et majorum instituta retinuerint. Tantum ista invaluit opinio, ut in illa rerum Romanarum senectute, ac pene morte, receptos nonulli Ethnici recens accusaverint mores, deploraverint abdicatos (2), quibus, ut

(1) M. T. Cic. de Republ. in Fragm. l. 5. (2) Sozomen. l. 9. c. 6. Zosim. l. 5. c. 41.

ut ipsi (1) ajebant, *Annibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt*. Et licet summus ille Africae antistes accusatores nedum validis, (2) verum etiam fulgentibus armis omnino profuderit, tot, tantaeque tamen antiqui moris videntur tunc superfuisse reliquiae, ut Roma quamvis puro esset sidere adflata, quamdam tamen veterum morum imaginem, et extrema velut lineamenta servaret. Non paucis id mihi videor jamdiu ostendisse argumentis, dum aliquot Romanorum, ut ut aras vitantium, et fana, residuam adhuc, neque extinctam penitus, erga patrios mores proclivitatem superioribus declaravi sermonibus,in quibus multa quae optimi sane Pontifices aut sustinuerunt, aut reformarunt, aut correxerunt, aut denique omnino repudiarunt, indicavi. Igitur, quoniam apud Ethnicos Februario manes mense gaudebant, triplicem hodie, Sodales, exponam erga vita functos parentandi consuetudinem a veteri Quiritium more manantem, atque ad sequiora usque saecula conservatam: quam, juxta puriorem, crassioremque populorum indolem, aliquando probandam, quandoque ferendam, saepe increpandam, increpatamque vix radicitus avulsam invenietis.

2. Triplici vita functos honore colebant veteres: floribus, epulis, silicerniis. Quam sane consuetudinem ad viciniora usque saecula servatam esse probabo. Verum non rem ante aggrediar, quam communem illum hominum, si vis etiam, doctiorum errorem detegam, qui cum epulis silicernia confundunt. Funerum enim, ajunt hi, coenam esse silicernia, funerum coenam epulas mortuales; ergo bicipiti nomine rem unam designatam esse confirmant: sed immane quantum a vero absint, dicenda demonstrant. Igitur nil aliud silicernia fuisse intelligo, quam ciborum quorumdam, liquorumque adpositiones silicibus, aut sepulchralibus aris lapideis, vita functorum ossa tegentibus: inde ergo dicta silicernia, coena silici nempe imposita, qua sane vulgariores omnes gaudebant manes; itaque fullonum usque, cementariorum, ac fabrum animas silicerniis non arbitror caruisse. Cum enim, ut ait (3) Lucianus, unicuique persuasum esset umbras, ab inferis reduces, coenare quidem, utcumque liceret, circa nidorem volitantes, ac depasta tandem, ut scribit (4) Virgilius, altaria linquentes, misellum hoc supremae pietatis officium jure arbitror nemini fuisse denegatum. Hoc ex Plauto nostro potissimum arguo: dum enim indignissimae sortis coquum vult recensere, illum dicit, qui silicerniis ibat coctum,

(1) Simmac. in Relat.pro Ara Victoriae.
(2) S. Aug. de Civ. Dei in princ.
(3) Lucian. in Dialog. mortuor.
(4) Virg. Aeneid. l. 5.

ctum ; quia nempe vilissimo cuique conducenti inserviret ut mortuis in dies coenam daret (1) .

. . . . *Coquus ille nundinalis est .*
Ob eam rem orcus recipere hunc ad se noluit ,
Ut esset qui mortuis coenam daret (2) .

Homo igitur nemo licet nihili , coena hac funeris , his carruisse videtur silicerniis , nisi forte cui iratus haeres , ob rem a testatore decurtatam , suprema haec pietatis officia denegasset :

. . . . *Sed coenam funeris heres*
Negliget iratus , si rem curtaveris (3) .

3. Verum immane quantum a silicerniis epulae abessent , ex rei Romanae scriptoribus facile colligo . Silicernia enim manibus dabantur omnium etiam vulgariorum ; epulae populo . Silicernia vilissimo cuique vita functo parabantur ; epulas nonnisi memoriae clarissimorum in republica virorum extrui fas erat : silicernia super silices , arasque lapideas , ossa tegentes , vidimus fuisse impositas ; epulae plerumque parabantur in ſoro , longeque a tumulo , opiparo , lautoque convivio , non sane cocto per nundinalem coquum ; neque convivium ipsum sine ludis scenicis quandoque , aut gladiatorio munere celebrabatur . Faustus quidem Sullae filius ludos gladiatorios in honore defuncti patris exhibuit (4) , populumque lauto convivio excepit : Quintus etiam Maximus mortui Africani patris nomine (5) lautum populo dedit epulum , in quo , cum toto ſoro (6) strata triclinia essent, tabernacula duxit statuenda convivis. Denique absoluto Hectoris funere , si Homeri (7) fidem sequamur , Graji proceres :

. . . . . . *E tumulo redibant , atque deinde*
Bene collecti convivabantur splendidum convivium .

4. Viſo silicernia inter , epulasque discrimine , triplicem hunc erga mortuos honorem apud eos quoque ajo servatum esse Romanos , qui Christiano dogmate imbuti , ab idolis abhorrebant , et fanis : hos enim suis floribus , ſuis silicerniis , suis demum epulis , erga vita functos Christicolas usos esse contendo . Tenuis licet , frequentior tamen manium honos fundendis erat in floribus :

Tu Marcellus eris ; manibus date lilia plenis
Purpureos spargam flores , animamque nepotis
His saltem accumulem donis (8) :

Ra-

(1) Plaut. in Aulular.
(2) Plaut. in Pſeudol.
(3) Persius satir. 6.
(4) M. T. Cic. in Orat. pro Muren.
(5) Dio Cassius l. 37.
(6) T. Livius l. 41.
(7) Homer. Iliad.
(8) Virg. Aeneid. 6.

Rara est vetus inscriptio, quae non haec habeat,

Aram rosis exornent (1):

Poeta rarus, ne dicam nemo, qui haec non scripserit:

. . . . *Sertisque sepulchrum.*
Ornabit custos (2):
Tu tamen extincto feralia munera ferto
Deque tuis lacrymis humida serta dato (3):

neque id quandoque omisere historici; de Nerone enim ajunt non defuiſse, qui per longum tempus vernis, aestivisque floribus, tumulum ejus ornarent (4):

5. Primos sane Christicolas Antoninorum aevo ab hoc more abhorruisse tradit (5) Justinus: quod profecto apud Minucium (6) his confirmat verbis Octavius: *Coronas etiam sepulchris denegatis*: hoc tamen diu non obtinuit; nam Hieronymi aevo mos passim acceptus, ac ferme comprobatus: *Caeteri mariti*, ait (7) ille, *super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, et dolorem pectoris his officiis consolantur*: Poeta vero christianus hospitalem quasi charitatem florum hanc effusionem appellat, dum infit (8):

Adde rosis hospes balsama puniceis.

Acerrimus tandem purioris assertor dogmatis Prudentius ab hoc more non abhorret; dum enim defunctorum canit exequias, haec ait (9):

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, et fronde frequenti.

6. Verum, ad silicernia veniamus. Dapes fuisse has vidimus sepulchris impositas nedum clarorum hominum, verum etiam vulgariorum, quorum manes, quaſi ab inferis evocatos cibis adpositis vesci, putabant Ethinici, ac delectari. Eumdem sunt ex Christianis quidam morem secuti: non enim ad martyrum dumtaxat tumulos, verum etiam ad quaeque sepulchra cariorum, cibos, et vina, eadem quasi ducti opinione adferebant; ita enim ait (10) ignotus auctor sermonis inter eos S. Augustini: *Miror, cur hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos, et vina conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant.* Atque hanc quidem consuetudinem a superstitione purgatam non quo-

(1) Kirchman de Fun. Rom. Gruter. et alii passim.
(2) Propert. Eleg. l. 3.
(3) Ovid. Triſt. lib. 3. eleg. 3.
(4) Sveton. in Neron. c. 37.
(5) S. Just. mart. in Apol. I. 2.
(6) Minuc. Felix. in Octavio.
(7) S. Hieron. ad Pammach.
(8) Ausonius in Epitaph. carm. 35.
(9) Prud. Chatemerinon. hymn. 10. in exequiis defunct.
(10) Auctor Serm. olim 15. de Sanctis nunc CXC. in Append. ad serm. S. Augustini.

quorumdam fuisse, sed pervulgatam in Africa ex (1) Augustino colligimus: de sua enim matre testatur, ad memorias eam sanctorum venisse (non hi sane erant martyres; sancti enim, qui in fide decesserant, dicebantur): ibi vero eam, sicut in Africa solebat, pultes, et panem, et merum attulisse; cum vero *ab ostiario prohiberetur, ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie, ac obedienter amplexa est, ut ipse admiraretur, quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suae, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit*: ista vero consuetudo altiores eo radices egerat, ut debitum quasi recenseretur pietatis officium; *Tu subtrahis gutturi tuo* (in avaros ait immortalis idem Africae (2) antistes) *ille forte cum mortuus fueris calicem super te non ponet, aut si forte ponet calicem, ipse inebriabitur, ad te nulla stilla descendet*. Denique consuetudinem, qua rudiores Christicolae sanctos mero perfusos e sepulchris credebant exhilaratos, licet illaudabilem, ignoscendam tamen duxit his versibus Paulinus (3):

Ignoscenda tamen puto . . . . .
. . . . Quia mentibus error
Irrepit rudibus; nec tantae conscia culpae
Simplicitas pietate caret, male credula sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.

At ignoscenda haec sane dixisset nemo; nisi rudis illa simplicitas materno illo lenitatis spiritu, quo nostra numquam caruit Ecclesia, conspecta esse dicatur; tunc enim, licet culpam non vitassent, veniam tamen poterant meruisse. Cum autem omnia ebrietatibus tractu temporis miscerentur, silicernia haec, sive, ut ait Augustinus, ista quasi (4) parentalia superstitioni gentium simillima, sanctiores episcopi interdicenda duxerunt, tamdemque cessarunt; aliis erga mortuos pietatis officiis antistitum providentia decretis.

7. Nunc ad epulas descendamus, quae sane diuturniorem apud nostros, quam silicernia, habuere progressum. Uti epulae apud Romanos non nisi in clarissimorum hominum vita functorum memoriae celebratae, ita et apud Christicolas non nisi in memoriam martyrum, hoc est hominum fortissimorum apponi solitae. Nostri quoque triclinia sternere, tabernacula statuere, opipara consueverunt celebrare convivia, quin et epuli quoque vocabulo donanda duxerunt. Memoriam Tullius hominum bene de republica meritorum censuit immortalem, quae si non esset longior quam vita, ne-

(1) Idem Confession. l. 6. c. 2.
(2) S. Aug. Serm. de luxur. et avarit.
(3) S. Paulin. in Nat. 9. S. Felicis.
(4) S. Aug. loc. cit.

nemo (1) esset tam amens, qui maximis periculis, et laboribus, ad summam laudem, gloriamque contenderet. Idem, rectiusque omnino, Christicolae sunt arbitrati: martyrum enim memoriam ita censuere gloriosam, ut, qui extremum spiritum in ipsa victoria effudissent, eos sane indicarent coelestium sedem, et locum consecutos, et, quibus brevis vita data esset, memoriam reddendam esse vitae sempiternam. Itaque in perpetuum vivere, immo verum oriri ad vitam, qui ita moriuntur, scribit (2) auctor anonymus commentarii in Job Origeni tributi, festivamque ait diem lauto epulo, laeto convivio celabrandam, quo sacerdotes, et populos, pupilli, viduaeque hilari festivitate saturarentur.

8. De hoc sane populari epulo, in memoriam martyrum celebrato, ita loqui videntur patres, ut pene turpe ducerent laetis his abstinere conviviis. Igitur Nazianzenus (3) omnium quidem martyrum memoriam hilari omnino solemnitate colendam esse animadvertit; ac Theodoretus (4) Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Antonio, Mercurio, aliisque sanctis martyribus solemnitates monet populari epulo peragendas. In his autem conviviis congregatum tradit Paulinus populum distincte per accubitas ordinari (5) ac ita profluis impleri cibis, ut ante oculos benedictionis ubertas evangelicae versaretur.

9. Denique licet agapes episcopi plerumque tollendas esse dixissent, haec tamen in martyrum memoriam convivia voluere servata. Igitur nedum inclinato Cassiodori aevo, quo agapum nulla mentio, verum, et Nicolai Papae, ita laetis colebatur martyrum memoria conviviis, ut jejunare turpe esset, scelus vero putaretur talium dierum gaudia temerare: *Cunctorum judicio, Cassiodorus (6) ait, sceleratissimus habendus est, qui talium dierum gaudia temerare contendit*: Nicolaus vero ad Bulgarorum consulta respondens, haec (7) scripsit: *Ergo hi nati utique Deo sunt, quando visi sunt oculis insipientium, mori: quod si quis de eorum nativitate laetatur, non jejuniis, non abstinentiis, non ullis denique debet vacare maeroribus*.

10. Verum cum ea hominum sit conditio, ut virtutes ipsae senescentes in vitia deflectant, eo ebrietatis haec processere convivia, ut centuplicatas bibitiones nimiam in noctem producerent, nec aliter se exaudiri posse confiderent, nisi in martyrum memoriam

(1) M. T. Cic. Philipp. XIV. §. 32.
(2) In Job. l. 3.
(3) In Oratione in laudem S. Cypr.
(4) Theodoret. de Evang. veritate.
(5) S. Paulin. in funere S. Rufin. ep. 31.
(6) Magn. Aurel. Caſsiodorus Variar. l. 8. ep. ult.
(7) Ad consult. Bulgaror. c. 5.

riam luxuriosissime biberent, ac (1) super sepultos se se sepelirent. O *stultitia hominum*. (2) ajebat Ambrosius, *qui existimant illis ebrietatem placere, qui jejunio passiones sustinere didicerunt*. Jure igitur optimo hos increpans epulones, et combibones, Africanus antistes: *Horum*, ait, *martyres fastidisse calices, deſpexiſse sartagines, odisse lagenas* (3).

11. At sanctioribus reclamantibus incassum episcopis, inordinata, et luxuriosa haec signa laetitiae nedum Cassiodoriano aevo manentia vidimus, sed ad Carolum usque Mannum legimus conservata. Etenim S.Bonifacio (4) teste, apud Germanos, ab erroribus ad veram fidem recens conversos, eo quorumdam imperitia, ne dicam audacia processerat, ut juxta ecclesias sub nomine martyrum nedum potationes, et prandia, verum etiam hostiae immolatitiae ritu omnino pagano offerentur; execratamque hanc a concilio Germanico consuetudinem avelli opus fuerit, atque extirpari (5).

12. Haec sunt, optime Princeps, quae de triplici hoc more, quo vita functorum veteres memoriam colerent, atque observarent, quem a gentibus Christicolae acciperent, a gentium, patrumque monumentis conjectare sum adgressus. Sileat igitur acti, se puero, temporis, sileat nimius vetustatis laudator; sua enim sunt cuique aetati vitia, suae cuique virtutes. Magnos sane, optime Princeps, fortissimosque viros protulit antiquitas, praeclara etiam praetulit exempla virtutis; at nec aetas haec desiderat nostra, nec invidet, satisque habet, si Te vel unum ostendat. Deus optimus maximus, nostrum, et bonorum omnium favens votis, id praestet, ut, postquam diutissime nostrae fueris praesidium, et decus aetatis, magnum deinde habeant remotiores exemplum, quod exstet ad memoriam posteritatis sempiternam.

Kalendis Februariis 1778.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

V DIS-

(1) S.Angust. de morib. ecclesiast. c. 34.
(2) S. Ambros. l. 1. de Elia, et Jejunio.
(3) S. Aug. de divers. c. 8. serm. 101.
(4) S. Bonifac. post epist. 68.
(5) Idem ibid.

DISSERTATIO IV.

In qua agitur de veterum sententia Christianorum in servandis cadaveribus propter mortuorum anastasim.

Diu, Sodales, multumque dubitavi, quid veteribus causae foret Christicolis, cur non corpora unguentis, donec vitam agerent, honestantes, *omnes Arabiae odores funeribus reservarent*, ut apud Minucium (1) Octavius ajebat quondam. Si cultioris notae viris, de re Christiana agentibus, assentimur (2), hi Flavium Clementem a Domitiano interfectum eo Christicolam fuisse demonstrant, quod eumdem *contemptissimae inertiae virum* Svetonius (3) appellet. Idemque conjiciunt de Pomponia Grecina *superstitionis externae rea mariti judicio permissa*, *cui longa aetas et continua tristitia fuit* (4). Cum igitur cultum nisi lugubrem, animum nisi moestum, continuamque solerent Christicolae praeseferre tristitiam, et, ut ait (5) Octavius, *pallidi*, *trepidi*, *misericordia digni essent*, quid quaeso causae fuerit, cur in ossa postmodum, et cadavera, unguentorum molem, atque aromatum congesserint pene infinitam? Si enim ex nostris audiamus antiquos rei christianae scriptores: *Cadavera vino* (6), *ac lacte perfusa*, *siccataque*, *aromatibus* commista condebant: horum autem ea erat congeries, ut haec praecise Tertullianus scripserit: *Si Arabiae* (7) *quaerantur odores*, *sciant Sabaei pluris*, *et carioris merces suas christianis sepeliendis profligari.* Istam vero consuetudinem nedum acerbiori Christianorum aevo servatam, verum etiam, pace ubique parta, auctam atque amplificatam ex Paulino (8), Prudentio, Corippo Gregorio Nisseno, ac centenis aliis ita nitide accepimus, ut supersit nullus dubitationi locus.

2. Dum tanti cultus in funere cum tanta vitae negligentia pugnantis causam non sine magna mentis haesitatione quaerebam, dubitationi huic nostrae haec altera accessit: si enim, ut quidam authumant, moerentes ubique Christicolae id egerint, ut se gentium odis-

(1) Minucius Felix in Octavio.
(2) Ludov. Murator. Annal. d' Ital. t. 1. part. 1. p. 360. e 361.
(3) Sveton. in Domitian. Murat. Annal. d' Ital. anno 95. Tertull. in Apolog. c. 42.
(4) Corn. Tacit. Annal. lib. 13. Murator. Annal. d' Italia an. 57. Tertull. ib.
(5) Minuc. Felix ibid.
(6) Ex Spondano de Coemeter. lib. 1. part. 3. cap. 3.
(7) Tertull. in Apologet. c. 42.
(8) S. Paulin. in fun. S. Rufinae. Prud. hymn. 10. in Exequ. Corippus in fun. Justin.

odisse mores profiterentur, cur quaeso in funerum cura morem a gentibus etiam receptum sequi non omnino piguerit? Nemo enim vestrum ignorat, Sodales, unguentorum, atque aromatum copiam in funeribus ita fuisse gentibus acceptam, ut eam inter debitos funeris sumptus recensere non dubitaverit Macer (1) jurisconsultus. Si vero gentes quoque dicamus in cura funerum Christicolas imitatos, cur non et rogis imponi corpora moris fuerit? Cur nostris, busta vitantibus, corpora immo servare, ac millenis placuit balsamis, atque odoribus delinita recondere? Meum non erit, Sodales, absolvere, sed in ea explicanda ita versabor, ut quae ad illam declarandam conferre posse mihi videntur, proferam.

3. Continuam Christianorum tristitiam, ne actum agam, explicare minime aggredior: neminem enim latet eosdem altiora, atque immortalia appetentes, mortales omnino despexisse delicias, uno verbo Cruci nomen dedisse, quae quidem gentibus ita erat stultitia (2) ut omnium peripsema facerent Christianos. Abjectam eorum igitur mittens, despicatamque vivendi rationem, egregii cultus in funere causas requiram, easque potissimum, ob quas, cum gentes in condiendis corporibus imitarentur, ab iisdem in vitandis mirum in modum bustis, rogisque abhorrerent.

4. Meam igitur habetote rationem. Ita enim opinor, Christianos imitatos esse illarum gentium rationes, quae anastasim fatentes sedulam, immo summam, in condiendis, condendisque defunctorum corporibus, curam adhibendam esse censuerunt.

5. Eam sane, quam nos profitemur, anastasim Atticis fuisse parum probatam auribus Paulus vel ipse nos edocet, quem Athenis cum de resurrectione mortuorum disserentem audirent, *quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: audiemus te de hoc iterum* (3). Vobis autem, Sodales, Attico licet sale respersis, anastasim nostram facile persuadeam vetustissimis, clarissimisque philosophis, atque gentibus longe Apostolo antiquioribus, nedum notam esse, sed et probatam. Si enim Lactantium audiamus: *Non modo prophetae, sed etiam vates, et poetae, et philosophi, anastasim mortuorum futuram esse consentiunt* (4).

7. Equidem non solum Aegyptios, sed etiam Hebraeos omnes, si Saducaeos excipias, anastasim fassos esse perlegi: quare ut Pharisaeorum gratiam sibi Paulus conciliaret, cum eum Judaei vellent in

(1) Macer. in lib. 1. ad legem 20. haereditatem.

(2) Sanct. Paul. in epist. 1. ad Corinth. c. 1. v. 18.

(3) Ex Act. Apostol. c. 17. v. 32.

(4) Lactant. Firmian. Instit. divinar. lib. 7. c. 25.

Digitized by Google

in frustra concidere notissima illa protulit verba : *De resurrectione mortuorum ego judicor* (1) . Quam ob rem, et *Pharisaeum se, et Pharisaeorum sectam* vocat inde *certissimam* (2). His autem universis plures accessere gentium philosophi, inter quos Varro (3) Democritum, Lactantius ait (4) eminuisse Crisippum.

7. Equidem si Tullio fidem praebeo, quoddam huic excidit verbum de mortuorum anastasi, in Eleusiniis recepta mysteriis, licet haec nigro silentii velamine obducerentur: ita enim ait (5): *Initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* Et licet verba haec potius animorum immortalitati, quam corporum aptentur anastasi, tamen et anastasi favere vel ex eo colligi valet, quod Tertullianus scripsit, qui in mysteriis traditam resurrectionis imaginem non dubitavit asserere;haec enim (6) habet: *Signat illic in fronte milites suos; celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit.*

8. Ac gentes quidem anastasi faventes eo tantam in curandis defunctorum corporibus operam adhibuisse videntur, quo futura ea crederent resurgendo aptiora . Quanta Aegyptiorum cura circa mortuorum corpora fuerit, quantum impendium, ne noctuas Athenas mittam, libens praetereo : eam tamen praeterire legem non possum, quam suis Democritus gentibus adsignavit. Is enim, ut cadavera faceret reviviscendo quandoque habiliora, nedum ne corpora comburerent edixit, verum etiam graviorem illum praecepit sumptum, ut in mellis dolio servarent. Jure igitur eum risit (7) Varro, dum dixit : *Heraclides Ponticus plus sapit, qui praecepit, ut comburerent, quam Democritus, qui, ut in melle servarent. Quem si vulgus sequutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus.*

9. Ne vero dubitetis, Sodales, tantum a Democrito jussum impendium, ut condita et condita sic cadavera aptius reviviscerent, praesto est vobis Plinius, qui eamdem hanc Democriti legem ita insectatur, atque sententiam (8) : *Similia et de asservandis corporibus hominum, et REVIVISCENDIS promissa a Democrito vanitas, qui non revixit ipse.*

10. Quod si Plinius, et Varro, et alii quirites, hanc mormortuorum reviviscentiam improbant, ac derident, non improbant sane,

(1) Ex Act. Apostol.
(2) Ibid.
(3) Varro *ὑπὲρ ταφῆς*.
(4) Lact. Firm. Inst. div. l. 7. c. 23.
(5) M. T. Cic. de leg. l. 2. c. 14.
(6) Tertull. de Praescript. c. 40.
(7) Varro loco cit.
(8) Plin. l. 7. c. 35.

sane, qua novam, et inauditam, sed potius qua nimium, quam par sit, humanitati morigeram. Sane Maro noster, dum similem his (1) versibus refert anastasim:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos
Laetheum ad fluvium Deus evocat agmine magno
Scilicet immemores, supera ut convexa revisant
Rursus et incipiant in corpora velle reverti,

ne nostram erga humanitatem vilis adulator appareat, haec longe ante praemittit (2):

Sit mihi fas audita loqui.

Puerilium enim ista deliramentorum, avidaeque numquam desinere mortalitatis comenta esse dicebat (3) Plinius; atque inde non asservata Romanis cadavera, sed combusta.

11. Quae igitur, Sodales, apud gentes anastasi faventes, corporum causa fuerit sedulo asservandorum, nempe ut aptius reviviscerent, satis, ni fallor, exhibui. Illud superest, ut Christicolas ostendam non ea ductos persuasione (si Lactantium fortasse exceperis, quem per summum errorem existimasse indicavi (4) Christi *integrum corpus patibulo detractum . . ., et sepulchro diligenter inclusum .. ne laesum, ac dimidiatum corpus ad resurgendum inhabile* (5) *redderetur*) morem illum condiendi aromatibus cadavera, verum ad futuram dumtaxat corporum anastasim declarandam retinuisse. Igitur Prudentius, postquam venturam praecinit versibus mortuorum anastasim, inquiens:

Venient cito secula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestit (6):

ob hanc rationem, maximam, ait, sepulchris curam impendi, ob hanc myrrha corpus adspergi, nempe, ut Sabaeo servet corpora medicamine.

Hinc maxima cura sepulchris
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat:
Candore nitentia claro
Pretendere lintea mos est;
Aspersaque myrrha Sabeo
CORPUS medicamine SERVAT (7).

12. Huic

(1) Virgil. Aeneid. l. vi.
(2) Ibid.
(3) Plinius loc. citat.
(4) Dissert. 1.
(5) Lactant. Firmian. Instit. divin. de vera sapient. l. 4. c. 26.
(6) Prud. Cathemerinon. hymn. 10. in exequ. Defunctor.
(7) Ibid.

12. Hunc etiam pertinent, quae nos docet Corippus, qui, dum Justiniani mortem imperatoris non aspernando prosequitur racmine, tot tantisque testatur fuisse unguentis delibutum, quot, quantaque ad Caesareum cadaver aeternum servandum satis essent (1).

Centum aliae species, unguentaque mira feruntur,
Tempus in aeternum sacrum servantia corpus.

13. Inde etiam est, quod christianissimi aevo Theodosii nedum a rogis omnes abstinerent, sed, si Macrobio (2) credamus, busta omnino improbarent. Inde demum Theodosio proximus (3) Augustinus haec circa corpora medicamina, et unguentaria pietatis officia, non improbans: *ad fidem resurrectionis adstruendam pertinere* commemorat.

14. Haec, Sodales, breviori oratione, ne vestra videar abuti benignitate recensui;ut quae expectanda mortuorum anastasi gentes crediderint, quem inde Christicolae morem derivarint, quodque hac de re ex remotissima temporum antiquitate eruere mihi datum sit haberetis.

Kalendis Aprilibus 1780.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO V.

De sacris Choreis.

Choreas vel cum ipso terrarum Orbe fuisse exortas ita facile puto, ut artem omnium primam fuisse concedam. Cum enim illae nil aliud esse videantur, quam viva quaedam gestiendi ars, ob quam vario pedum, brachiorumque motu, intimi animae sensus nedum eliciuntur, verum etiam quodam veluti penicillo oculis subiecta fidelibus exprimuntur, quis profecto erit tam vecors, quis tam expers ingenii, qui primos omnium parentes, in illam vitae beatitudinem ortos, qua mare, terram, arbores, animalia, omnia denique ipsis facta, quaelibet cum ipsis nata, universa ipsis magno Numinis benificio iidem subiecta prospicerent, non statim conceptam animo gratitudinem, atque alacritatem palmis, vultu, oculis, tota demum totius corporis exultatione expressisse arbitretur? Ju-

(1) Corippus l. 3. de Fun. Justinian. Imp.
(2) Macrob. l. 7. c. 7.
(3) S. Aug. in lib. de cura pro mortuis geren.

Justam igitur hanc erga Dei optimi maximi beneficia exultationem, gratum hunc totius corporis motum, principium fuisse non injuria arbitrari quis posset, unde sacrae habuerint ortum Choreae: itaque sacrae sic omnium primae.

2. Sacris quidem Hebraeos Choreis usos nemo non videt; Aegyptios vero in sacris maxime Isidis, atque Osiridis, Choreis deditos pene omnes tradunt: Orpheus Choreas Graecis dedit, Numa Latinis, qui Salios instituit. Sacro igitur epulo ab his peracto (et quidem ita lauto, ut, qui bene coenasset, se *saliarem in modum* coenasse diceret) sacris opera dabatur Choreis.

3. In ipsis itaque nascentis Ecclesiae incunabulis (quo ad Choreas maxime spectant, aliasque jucundiores vivendi consuetudines) rudes plerumque constat fuisse Christicolas, ut vetera, in quibus et nati, et educati, non ita facile instituta relinquerent, aut radicitus exstirparent. Non ego sane Hadriano Caesari assentior, qui ad Servianum scribens, satyram, non historiam, scripsit his (1) verbis: *Aegyptum, quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici levem, pendulam et ad omnia famae momenta volitantem. Illi, qui Serapin colunt Christiani sunt; et devoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisinagogus Judeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbiter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha, cum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum*: et licet Marcellinus de Serapidis templo, tamquam de quodam loquatur (2) Orbis miraculo, nec ullum fuisse in Orbe majus (3) Theodoretus scripserit, adhuc Hadriano, uti pagano, atque ad satyram inclinato, non ita facile, assentior; quin immo judico nobis omnino imposuisse Hadrianum.

4. Illud tamen inficiari certe non possum quemdam altius ita insedisse aliquorum animo errorem circa ea praesertim numina, in quorum veteri praecipue tutela conquieverant, ut penitus avelli vix potuerit; ut in Africa de coelesti dea vel Salvianus evenisse testatur (4), quam ut propriam, atque indigetem plures sane Christicolae, et quidem spectatissimi, adorare non detrectabant (5).

5. Igitur Christicolis in fide tyronibus, atque ad vetera inclinatis, non alienum duxere pastores sacras in ecclesiam Choreas inducere, a quibus nec veteres, eosque sane sanctissimos, Hebraeorum pa-

(1) Flavius Vopiscus in Vita Saturnini in princip.
(2) Ammian. Marcell. l. 22.
(3) Theodoret. l. 5. c. 22.
(4) Salvian. de Gubern. l. 8.
(5) Murator. Annal. d' Ital. tom. 3. part. 2. ann. 421.

Digitized by Google

patres abhoruisse agnovissent. Quare diebus festis, quos populari epulo peragebant, *hymnum Christo* ut ait (1) Plinius, *quasi Deo canebant*; ut proinde cantui gestus, gratum animum, ac laetitiam exprimentes, fuisse adnexos facile sit conjectare. Mos enim cantum exprimendi gestibus, res, quas canebant, decentibus, eo fuit perantiquus, ut Philo Hebraeus (2) (quem, etsi de Essenis loqui videmus, de primis omnino Christicolis censet locutum esse Baronius (3)) tradat eosdem in ipsismet nascentis Ecclesiae initiis ad hymnos religiose et Choreas post epulum devenisse, ita enim ait: *Ubi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio coenaculi, alter virorum, alter foeminarum: utrique suus concentor praeficitur, honore praestans, et canendi peritia; deinde cantant hymnos ad Dei laudem compositos variis metrorum carminumque generibus, nunc uno ore, nunc alterno, non sine decoris, et religiosis gestibus, et accentibus, MODO STANTES, MODO RETRORSUM GRADUM MOVENTES, utcumque res postulat; deinde postquam uterque seorsim EXPLEVIT HIS SE DELICIIS etc.*: Cujus sane Chorearum generis per haec meminit, recitatis similia verba Plutarchus: *Adjunguntur gestus convenientes personarum motibus, et vocis affectiones dictis congruae* (4).

6. Cum primum Christicolis erigendi facultas conventiculi per Caesares, quamvis Ethnicos licuisset, si ullam Gallico scriptori, caeteroquin docto (5) fidem praebeamus, summo loco quemdam quasi aggerem in theatri formam excitabant, cui chori nomen, uti Choreis aptum, assignarunt (qui sane extruendi chori mos usque nunc inviolatus existit) ubi sane hymnis vacarent atque Choreis. Quin etiam hic (6) Scaligerum allegat, qui falso dictos non aliunde, quam quod Saliis praeessent nostris, nostros authumat praesules.

7. Verum quicquid de Galli scriptoris sententia dicendum sit, nulla sane quod addimus falsitate laborat. Cum laetissimus Antiochiam nuncius de Juliani caede pervenisset, diem tam auspicatum Choreis celebrare Christicolae non destiterunt. In qua sane re diu, multumque mihi Theodoreti verba notavi, qui cum bellissimum retulerit Christianorum tripudium, plenaque non tam *THEATRA*, quam *TEMPLA*, effusa eorum exultatione descripserit, *THEATRA* quidem vocibus, *TEMPLA* vero Choreis laetissima praedicavit: En ejus verba: *Antiocheni, cognita caede illius, publicis epulis,* ac

(1) Plin. in celebri epist. ad Trajan.
(2) Philo Hebraeus in Opuscul. de Vita contemplativa.
(3) Card. Baron. tom. 1. Annal. Eccleſ. p. 396. et seq.
(4) Plutarc. quaest. conviral. 8.
(5) Cahusae Accademie. Scient. et Art. Boruss. In suo tractat. de Choreis edit. Hage Comitum penes Neahume 1754. t. 1.
(6) Idem ibid.

ac festis indulgebant ; neque in ecclesiis solum , atque ad MARTYRUM MONUMENTA , CHOREAS AGEBANT . *Sed in theatris praedicabant Crucis victoriam , et vaticinia illius cachinnis prosequebantur* (1) .

8. Verum laudandae , ac religiosae istae Choraee , seu dramaticae cantiones , sive , ut ipsiusmet verbis nostrae utar Ecclesiae, *dulcia cantica dramatis* Augustini usque tempore , in saltationes erupere . Jam vero quantum a lascivia alienum sacro cantui brachiorum , pedumque motum decenter accomodare , tantum profecto saltationem vel ipse (2) testatur Tullius : *Vitiorum omnium esse postremum : nemo enim fere saltat sobrius , nisi forte insanit , neque in solitudine , neque in convivio moderato , atque honesto . Intempestivi convivii , amoeni loci , multarum deliciarum comes est extrema saltatio .*

9. Choreae igitur istae degeneres,saltationes hae nedum ad luxuriam vergentes, verum etiam petulantia procaces, atque omni refertae libidine, nostram misere invaserunt Ecclesiam, ut merito debuerint et iras antistitum experiri,et perpetua patrum oratione damnari . Quare optimo sane jure magnum Africae lumen Augustinus obscoenas illas saltationes his (3) increpat verbis: *Aliquando ante annos non valde multos istum locum invaserat petulantia saltatorum : istum tam sanctum locum, ubi jacet tam sancti martyris corpus,sicuti meminerunt multi qui aetatem habent , locum inquam tam sanctum invaserat pestilentia , et petulantia saltatorum : per totam noctem cantabantur hic nefaria , et cantantibus saltabatur . Quando voluit Dominus , per sanctum fratrem nostrum , episcopum vestrum , ex quo hic coeperunt sanctae vigiliae celebrari , illa pestis aliquantulum reluctata postea cessit diligentiae , erubuit sapientiae .*

10. Licet autem pestiferam hanc tam valida Ecclesiae fulmina consuetudinem ita everterint, ut obscoenae a templis saltationes omnino exulaverint, festis tamen diebus crassiores prope templa Christicolae Choreas agere non cessarunt ; quod sane octavo usque Ecclesiae seculo est factum , prout Zachariae Papae Bonifacius Moguntinus episcopus his (4) exposuit verbis : *Alamanni , Bajoarii , vel Franci , si juxta Romanam Urbem aliquid facere vident ex his peccatis , quae nos prohibemus , licitum , et concessum a sacerdotibus esse putant , et nobis improperium deputant , et sibi scandalum vitae accipiunt . Sicut affirmant se vidisse singulis annis in Romana Urbe et juxta ecclesiam , in die vel nocte , quando kalendae Januarii intrant Paganorum consuetudine choros ducere .*

(1) Theodoret. hist. eccles. l. 3. c. 27.
(2) M. T. Cic. in sua Orat. pro L. Murena c. 13.
(3) S. August. in sermon. 115. de divers. habito in festo S. Cyprian. t. 10.
(4) S. Bonifac. episc. Mogunt. epist. 132.

11. Enim vero crebris, validisque conciliorum, praesulum, ac regum ictibus, nefarius omnino cecidit, atque exulavit abusus: quae tamen fulmina obscoenas tantum dicimus perculisse Choreas; nam decimo ac septimo usque seculo, hoc est proxime elapso, presbyterorum coetus, populusque Limosinus in festo S.Marcelli, ad finem cujusque in ecclesia psalmi, se in honorem Marcelli saltare, et cantare elata voce (1) profitebantur: cujus rei quid simile Jesuita olim Meneterius se vidisse (2) testatur.

12. Puram, germanamque istam in sanctos laetitiam, non sua sane vacuam virtute, moribus dicamus oportet praeditam fuisse simplicibus, a simulatione quavis immunibus. Hodierni mores majorem quamdam praeeferunt mentis aciem accuratioremque munditiam. Simplicitatem odimus, creduliores dicimus veteres, omnia censoriis oculis judicamus, universa rhonchis excipimus, naso quaelibet adunco suspendimus, nil nisi cum judicio, ac delectu agendum esse praedicamus. Verum dum frontem ubique contrahimus, dum omnia depresso ad mentem supercilio damnamus, vitia nova fortasse discimus, virtutes veterum abdicamus.

Sexto Kal. Novemb. 1780.

Philippus Trenta pro S. R. Ecclesia Bononiae praetor.

DISSERTATIO VI.

De diversis Gentium ritibus ad Christicolas derivatis.

Christianos quaedam ab Ethnicis accepisse, plura derivasse; accepta vero, ac derivata defaecasse, sanctificasse, superioribus late paginis disseruimus. Quae supersunt, nec sane pauca supersunt, quoniam suum ad finem nostra properare videtur oratio, idem probare conantur institutum, at nisi forte me communis φιλαυτία decepit, bene probabunt. A' templis igitur, sive potius a germana hujus vocis significatione, sermonem incipiam.

2. Christiani, Antoninorum aevo ad tempora Constantini, illum non alio nomine donabant locum, quo ut exolverent vero Deo vota conveniebant, quam *ecclesiae*, *basilicae*, *conventiculi*. Ipsimet Ethnici templum, et ecclesiam res duas esse censebant, velut alteram alteri adversam, atque omnino contrariam. Quare Caesar Au-

(1) Cabuſae in dicto tractat. tom. 1. (2) P. Menetier in ſuo tractat. de Choreis.

Aurelianus in sua ad senatum epistola haec (1) ait: *Miror vos, patres sancti, tamdiu de aperiendis Sybillinis dubitasse libris, proinde quasi in Christianorum ECCLESIA, non in TEMPLO deorum omnium tractaretis.*

3. Hanc eamdem vetustiores sententiam habuisse Christicolas, e Zenone Veronensi (2) quam nitide eruimus ajente: *Proponimus itaque, ut saepe contigit, in unum sibimet convenire diversae religionis diem, quo tibi ECCLESIA, illi adeunda sint TEMPLA*: quibus verbis nil certe clarius ad ostendendas ecclesias templis fuisse oppositas.

4. Basilicas quoque nostri, et conventicula, ante imperantem Constantini sobolem ecclesias appellavere, non templa: nulla enim habuisse Christianos templa Minucius (3) affirmat: cui favens Arnobius, de Caesaribus queritur, cur jusserint: *Conventicula dirui, in quibus summus oratur Deus* (4) Oratoria vero verborum volubilitate Lactantius, quasi nil Christiano homini esset cum templis agendum (5) ita gentes insequitur: *Quid sibi TEMPLA, quid arae volunt, quae ipsa simulacra, quae aut mortuorum, aut absentium monimenta sunt*? Ideoque cum Christianorum alio loco (6) nominare cupit ecclesiam, haec ait: *Universum populum cum ipso pariter CONVENTICULO concremavit*.

5. Quid, quod recentior ipsis Hieronymus, basilicae nomen usurpans, templi vocabulo opposuit inquiens: *Cum Juliano persecutore sanctorum BASILICAS aut destrueret, aut in TEMPLA converteret* (7).

6. Tandem Christianae legis amplificator Constantinus, ejusque soboles, dum templa nominavit, gentilium fana intellexit, ut patet ex ipsiusmet legibus (8) in Orbe Romano tunc editis; ideoque acris ingenii vir Gothofredus (9) recto argumento nos docet nondum anno CCCXXVI. a Constantino templa gentilium eversa; nam ita ea se (10) lex habet: *Provinciarum judices commoneri praecipimus, ut nihil se novi operis ordinari ante debere cognoscant, quam ea compleverint, quae a decessoribus inchoata sunt; exceptis dumtaxat TEMPLORUM aedificationibus*: ubi *templa* interpres eximius non sane pro *ecclesiis*, sed pro fanis sumenda esse animadvertit.

(1) Flavius Vopiscus in Vit. Aurel.
(2) Zeno Veronens. in serm. de Continent.
(3) Minucius Felix in Octavio.
(4) Arnob. contr. Nation.
(5) Lactant. Firmian. Instit. Divin. l. 2. cap. 2. de orig. error.
(6) Idem de justitia l. 5. c. 11.
(7) S. Hieron. in epist. ad Ripuar. Presbyter. adverſ. Vigilant.
(8) In Codice Theodosiano tot. tit. de Fid. Cathol. et tot. tit. de Paganis Sacrific. et templis.
(9) Dionis. Gothofr. in leg. 3 de Oper. public. Cod. Theodos.
(10) In dicta leg. 3. Cod. Theodosian.

7. Verum cum Caesarum religio Christianorum paulo post aut dirueret, aut in ecclesias gentium templa converteret, sensim templi vocabulo odium detractum, aut imminutum. Quam ob rem templorum nomen nostris acceptum, atque a sanctioribus rei Christianae scriptoribus ecclesiis omnino attributum; eoque res postea defluxit, ut apud cultioris notae homines visum sit ecclesiae vocabulum Graecam potius linguam, quam Latinam sapere simplicitatem. Uno, ut rem conficiam, Theodoreto utar scriptore, atque teste, qui (1) haec ait: *Dirutorum templorum materia, templis arisque martyrum excitatis, expiata est: suis enim mortuis Dominus noster in templo pro diis vestris induxit; pro Pandiis enim, et Diasiis, et Dionysiis, hoc est Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Marcello, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur.* En igitur templi vox, a qua veteres abhorrebant Christicolae, post Constantinum ad nos usque, nedum Christianis accepta, verum etiam in scribendi morem inducta.

8. Atqui nedum templa, sed et vasa fuere gentium sanctificata, in usumque nostrum optima sane ratione conversa: cujus pervetusti moris, laudeque dignissimi, clarissimum habeo testem Optatum (2) Milevitanum, qui nedum de vasis, verum etiam de similibus gentium usuariis rebus a Christianis in sacros, aut pios usus commutatis, haec ait: *Si adsit invocatio nominis Dei; ipsa invocatio santificat, quod pollutum esse videbatur.*

9. A vasis pio usui, vel sacro destinatis, ad lavationes, in sacris adhibitas, descendamus. Lavationes in quibusque religionum officiis debitum sacrorum censeo fuisse initium. Ita enim ait (3) Plautus:

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.

Et alio loco (4):

Eo lavatum, ut sacruficem.

Et aliis locis ubique passim.

10. Qui ergo sacrificaturi non lavabant, quodam sagrilegii crimine polluebantur teste (5) Livio, qui haec habet: *Quidnam tu hospes, paras? Inceste sacrificium Dianae facere, quin tu ante vivo perfuderis flumine?* cum quo consonat belle Virgilius (6):

Pa-

(1) Theodoret. de Evangel. verit. tit. de Martyrib. l. 8.
(2) S.Optat. Milevit. l. 6. contr. Parmen.
(3) Plaut. Aulularia act. 4. sc. 2. v. 5.
(4) Ibid. act. 3. sc. 6. v. 4.
(5) T. Liv. l. 1.
(6) Virgil. Aeneid.

. . . . . . Patriosque penates
Me tanto e bello digressum, et caede recentem
Attrectare nefas, donec me flumine vivo,
Abluere &c.

quam ob rem de Aenea ramum Proserpinae sacraturo haec infit:

Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua (1).

11. Aquam inde lustralem in templorum ingressu Romani sacerdotes (2) servabant: quin, et populum olivae ramo, vel lauri adspergebant:

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae (3)'.

Ramum vero hunc in illud postea instrumentum commutarunt vulgo dictum *asperges*, quo et nos utimur, pro ut nummi exhibent veteres Julii (4) Caesaris, aliorumque pontificum maximorum (5).

12. Aquam hanc a lustrando nomen accepisse, vel ex Juvenale (6) colligitur: Quare Caesaribus templa ingressuris praesto erat (pro ut etiam nunc moris est) ad fores pontifex cum ministris lustralis aquae vasculum suggerentibus, qua Caesares, aulicosque suos, leviter aspergebat. Memorandum profecto hujusce moris exemplum Valentiniani nobis historia suppeditat. Dum enim is Flavium Julianum templum coeteris cum aulicis ingressurum tribunus comitaretur, pontifex paganus cum aqua lustrali, aut casu, aut consilio, conspersit. Indignatus ille colapho, ut quidam volunt, iniuriis certe pontificem lacessivit: quidam addunt, gladio vestis partem aqua respersam, abscidisse (7); tunc Maximus philosophus, Augusti familiaris, rem detulit ad nescium forte Julianum, qui Valentiniano vel vota divis exolvenda, vel tribunatus dimissionem indixit. At ille, omni penitus exauctoramento contentus, paulo post Dei optimi maximi nutu, ductu, auspicioque tribunatum cum imperio commutavit (8).

13. Illud quoque obtinebat apud Quirites, ut quibus veneria nox externa fuisset, sacris esset postera die omnino abstinendum. Ita enim ajebat pontifex (9).

Di-

(1) Virgil. Aeneid.
(2) Choul. Relig. Roman. p. 216., e 217.
(3) Virgil. Aeneid.
(4) Choul. loc. cit. p. 190., et 216.
(5) Museum Musellian. t. 1. tab. 1. n. 3. et tab. 3. n. 8. tab. 32. n. 8. e 9. tab. 53. n. 7. & alibi.
(6) Juvenal. satir. 6.
(7) Zoſim. l. 4 c. 2. Theodoret. l. 3. c. 12. Sozomen. l. 4 c. 6.
(8) Paul. Oroſ. l. 7. c. 32. Sozomen. et Theodoret. ibid.
(9) Poeta vetus.

. . . . . *Discedite ab aris,*
Queis tulit externa gaudia nocte Venus:

veniam igitur petebat sacerdos quoties pridie uxorio concubitu non vacasset (1):

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris, observandisque diebus.

14. Itaque sacra postridie adeuntes pure lavabant, puroque thoro recumbebant (2):

Quidve pie, dum sacra colis pureque lavari
Tum memini, et puro secubuisse thoro.

Quod si noctem egissent vino, lustrisque confectam lustrali, eam aqua purgabant, qua sane ratione saepe vates concinunt (3),

Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Quare nocturnos Persius increpans ganeones, et concubinos, abluendi sceleris avidos ait (4):

. . . . . *Et noctem flumine purgant.*

15. Haec propemodum omnia in sacra nostra translata, ac sanctificata, nemo non videt. Non igitur noster ante sacris sacerdos vestibus umquam induitur, non templum ingreditur, quam lavatio praecedat: *Ingressuri templum*, ait Chrysostomus (5), *manus lavamus*: non prius inchoat sacrificium, quam lustrali se primum aqua, deinde clerum, populum denique salutari non sine cantico aspergat, non se ad secretiora mysteria accingit, nisi tertia usque ablutione lustretur.

16. Quid, quod universis templum ingressuris eaedem prorsus, ac olim gentibus pilae offeruntur, undis copiosae lustralibus? Principibus vero in clero, aut republica viris, nonne idem servatur honos, ac Caesari Juliano servatum accepimus? Nonne major Pontifex, postquam se abluit in fronte, populum in ipsomet primo templi limine aspergit? Quare non immerito eos increpat Anastasius, qui se satis putantes levi hac ablutione lustratos, caelesti os coenae impurum admoveant; ita enim ait (6): *Quid enim more illo nefarium magis, ut cum rapinis, improbitate, omnique scelerum genere oppleti simus, aqua modica abluentes manus, sic sacrum illud corpus divinumque sanguinem pro mundi salute effusum, immundi ac sordidati percipiamus?*

17. No-

(1) Juvenal. satir. 6.
(2) Tibull. eleg. 3. l. 1.
(3) Ib. eleg. 2. l. 1.
(4) Persius satir. 3.
(5) S. Jo. Chrisost. in Joan. hom. 22. in fin.
(6) Anastas. Sinaita in oration. de Sacr. Sinaxi ex interpr. Combefisii.

17. Nostris denique fuit moribus et illud acceptum, ut post veneriam noctem, quin et post ipsum quoque maritalem concubitum, ab ingressu ecclesiae abstinerent Christicolae, nec nisi mundi accederent, ac lavati. Ut enim magnus advertit (1) Gregorius: *Romanorum semper ab antiquioribus usus fuit post admixtionem propriae coniugis lavari, et purificationem quaerere, et ab ingressu ecclesiae paululum reverenter abstinere.*

18. Quin immo ipsemet (2) Paulus illis verbis: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* nil aliud indigitasse videtur, quam proximo sacris agendis tempore a coniugio abstinendnm, ut puri puti Christicolae ad aras accederent. Inde ergo ait Cirillus (3): *Qui norunt tempus continendi, ut vacent orationi; nempe ut cum vestimentis munda ad conventus ecclesiae afferant corpora.*

19. Eo autem indicta haec castitas majoribus nostris adeo curae fuisse videtur, ut auctor sermonis inter Augustinianos non dubitarit asserere: *Qui uxorem suam agnoverit in die Dominica, aut qualibet alia solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte demoniaci nascentur* (4): ex quibus omnibus, ni fallor, trinum illum gentium morem nostris fuisse moribus acceptum, ac perbelle sanctificatum, satis arbitror me demonstrasse. Si quis tamen hos ritus, quemadmodum et plerosque alios, de quibus agemus, ab Hebraeis sumptos malit, non equidem admodum repugnabo,

20. Postquam de lavationibus solemnioribusque pontificum ablutionibus vidimus, de ipsorummet pontificum privilegiis non injucundum arbitror verba facere. Flamen igitur apud Quirites (5) quotidie feriatus; quae Tullius haec (6) ait: *Cum sacerdotes deorum vacationem habeant.* A militia igitur et ab urbanis (7) molestiis omnino exemptus. Privilegia haec Vestalium collegio antistitum fuisse communia tradit perbelle per haec (8) verba Symmachus: *Ut vittae earum capiti decus faciunt, insigne ducitur sacerdotii vacare muneribus*: quod melius vidimus, ubi de Vesta egimus, atque Vestalibus (9).

21. Tandem quod Romae circa haec juris fuit, et in caeteris civitatibus obtinuisse dicendum est, ut ex lapide Gruteriano colligitur, ubi haec habentur (10): QUI

(1) S. Gregr. l.xi. ep. LXIV.al. XXXI. res. 10.
(2) S. Paul. in ep. ad Chorint.
(3) S. Cirill. Cathechef. 4.
(4) Serm. 244. de Temp. nunc CCXCII. in Append.
(5) A. Gell. l. 10. c. 5.
(6) M. T. Cic. Academ. quaest. 4. 39.
(7) Dionif. Alicarn. l. 1.
(8) Symmac. l. 10. ep. 54
(9) Urban. quaest. l. 2. difsert. 4.
(10) Gruter. inscription. p. 484. n. 6.

QUI CUM PRIVILEGIO SACERDOTII CENINENSIS
POTUISSET AB HONORIBUS ET MUNERIBUS FACILE EXCUSARI
PRAEPOSITO AMORE PATRIAE
HONOREM AEDILITATIS LAUDABILITER ADMINSTRAVERIT.

Quam igitur Ethnici sacerdotes immunitatem, vacationemque, a vetustissimis Quiritium moribus legibusque obtinebant, eam antistites nostri, nostrique sacerdotes, et augustiori jure, optima sane ratione interpellant.

22. Ex eodem fonte promanasse videri possent primitiae aris oblatae, illaeque flamini debitae sportulae, quae Romanam perlustrantibus historiam occurrunt. Nemo enim ignorat, uti nostris nunc aris, et sacerdotibus, ita olim fuisse primitias oblatas, et decimas; id enim a (1) Censorino, et a (2) Dionysio aperte colligitur. Verum rectius repetenda censetur ab ipsomet naturae jure nostrarum primitiarum oblatio, quae et in lege Mosaica decreta legitur: sportulas vero, quae Romanis nedum adsignabantur judicibus, verum etiam iis, qui domus Augustae (3) adscribebantur officiis, ad ecclesias transiisse nostras auctor est Cassiodorus (4). Quam ob rem in sua episcopus consecratione auri libras viginti patriarchis dono dabant (5) suis.

23. At in sacerdotibus quas pontificia nostra indicunt jura, easdem omnino justas parentum nuptias pontificium jus imperabat vetus: quin immo nedum justis nuptiis ortos, verum et ingenuos, et, quod magis est, patrimos, matrimosque, suos esse volebat flamines: *Decem ingenui*, ait (6) Livius, *decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti*. Non igitur spurii, non naturales, non servi, non ingenui tantum, sed ex his patrimi, matrimique delecti.

24. Laudabilis quoque in sacerdote membrorum integritas, virtus praefulgens, honestumque ad vitam patrimonium (quae omnia sunt nostris indicta canonibus) veteri quoque pontificio jure praescripta vel ex eo colligi valet, quod tradit per haec (7) precise verba Dionysius: *Romulus lege sanxit, ut e singulis curiis legerentur bini, annum ingressi quinquagesimum, qui VIRTUTE, ac genere, praecellerent coeteris, OPESQUE HABERENT SUFFICIENTES, et INTEGRO ESSENT CORPORE*.

25. Quid

(1) Cenſorin. de die natal. c. 1.
(2) Dionys. Alicarnas. l. 1.
(3) Guther. de Offic. domus Augustae lib. 2. c. 17.
(4) Caſsiodor. Variar. l. 1. epist. 10.
(5) In lib. Basilicor. l. 4. act. 47. In Novella Justiniani 123. c. 5.
(6) T. Liv. l. 37. c. 3.
(7) Dionyſ. Alicarnas. l. 2. p. 92.

25. Quid, quod et Romanis sacerdotibus alia multa sacrorum legibus indicta, quae nostris postea nedum laudabilia, sed rata? Non erit ergo omnino ἀβδηριτικόν reputare, sanctissimos Urbis Praesules, quae in sacra nostra rite, recteque transferri potuisse censuerint, ea summa sane cum laude trastulisse, sanctificasse; quod si multa aliunde deducta, eadem tamen etiam apud gentes olim recepta. Laudabilis enim novi sacerdotis capiti manuum impositio, monogamiae commendatio, bigamiae fuga, justarum cura nuptiarum, saevitia, sordesque a sacerdotio repellentes, quae sane omnia, in nostris sacris inviolabiliter, et caste servantur, ea apud Quirites jam dudum radices egerant. Quod augustam spectat novi sacerdotis capiti manuum impositionem, de qua Apostolus (1), jure divino praescriptam, hanc ab ipso vel Numa Romanae religionis auctore indictam, servatamque Livius (2) indigitat, qui de ipsiusmet Numae ordinatione agens, super caput ejus ab augure manus ait fuisse impositas.

26. Quod vero ad commendabilem pertinet, commendatamque sacerdoti monogamiam, quam in episcopo unius uxoris viro Apostolus (3), praecipit, non alios sane, quam ex ethnicis Tacitum, ex nostris Hieronymum, ac Tertullianum proferam testes. Primus itaque in sacerdotio Vestae praelatam (4) ait Pollionis filiam: *Non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio manebat:* hoc est univirae filia esset. Hieronymus vero (5) sibi haec notavit: *Flamen unius uxoris ad sacerdotium admittitur: flaminica quoque unius mariti eligitur uxor*: quae tamen prior Hieronymo Tertullianus scripserat, qui haec (6) habet: *Expiationem delictorum de lavacro repromittit, et si adhuc initiat mitrae, signat illic in fronte milites suos; celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit. Quid, quod et summum pontificem* IN VNIS NVPTIIS STATVIT? *Habet, et virgines, habet et continentes*: quod et aliis locis fusius (7) etiam pertractavit. Bigamiam autem, quam sequioris aevi scriptor Maximus ait (8) toleratam, vetustioribus invisam nedum Quiritibus sacra agentibus, sed et vetitam tradit (9) Livius, qui justas quoque nuptias adeo Romanis ait commendatas, ut clandestinas eos omnino improbasse adnotaverit (10).

 27. Ve-

(1) S. Paul. ad Timoth. Act. Apost. c. 8.
(2) T. Liv. l. 1. dec. 1.
(3) S. Paul. ad Timoth. c. 5.
(4) Tacit. Annal. l. 2. circ. fin.
(5) S. Hieron. ep. 11. ad Agheruch.
(6) Tertull. de Praescript. c. 40.
(7) Tertull. de Monogom. c. 10. 11. et 12.
(8) Val. Max. lib. 2. c. 1.
(9) T. Tiv. l. 10. dec. 1.
(10) T. Liv. ibid.

27. Verum non tam Romano haec in flamine laudabilia, quam quaedam ab saevitia, ac sordibus castimonia, nostris usque nunc a canonibus nedum laudata, sed et imperata. Quem enim simoniae, ac saevitiae flagitium, sacerdotem apud nos aut repellunt, aut damnant, veteres eum apud Quirites damnabant, et repellebant. Quam ob rem Titus imperator non prius pontificatum professus est, quam fide praestita, se nullius futurum caedis auctorem: *Pontificatum maximum*, ait (1) Svetonius, *ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidemque praestitit; nec auctor posthac cujusquam caedis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset, sed periturum se potius, quam perditurum adjurans*. Puras igitur in flamine servasse manus eo non ultima laus erat, ut Horatio satis homo sit commendatus (2):

Immunis aram si tetigit manus.

Quare christianam multo magis decuit mansuetudinem puras ita manus a saguinis effusione servandas indicere, ut saevis, et sanguinolentis inaccessa forent altaria.

28. At Romanis, praeter saevitiam, nihil tam invitum quam sordes et praetium in creando sacerdote. Quod Petro igitur in Simone monstrum immane fuit visum (3), idem illud apud Quirites nedum humano juri, verum etiam deorum immortalium religioni vi debatur omnino contrarium. Quare non solum sordes adhibere, vel praetium in creando (4) sacerdote penitus interdictum; verum etiam habitus sacrorum emptor tamquam religionum eversor, atque repudiator: ut proinde merito Tullius, dum sacerdotia enunciat vendita, ac nummis praesentissimis a Verre collata, haec imo ex pectore verba funditet: *Quibus in rebus non solum hominum jura, sed etiam deorum religiones immortalium repudiavit* (5).

29. Visis quae mores flaminum spectant, ad eorum vestes, et insignia veniamus. Tria praecipue in flamine observamus. Apicem nempe, lituum, candidam vestem, eamque lineam; istaque omnia (neque id forte ἀλόγως reputetur) ad sacerdotes usque nostros deducta esse videntur. Lituum enim, atque apicem, hoc est baculum a summo intortum, thiaramque sacerdotalem suis infulis redimitam, a nostrorum baculo, tiaraque antistitum non absimilem, monumenta pene universa antiquitatis exhibent, prout in argenteo Pompeii (6) magni numismate, ubi nitide lituus; in argen-

(1) Sveton. in Tito c. 9.
(2) Horat. l. 3. od. 23.
(3) In Act. Apostol.
(4) Dionys. Halicarnaſ. l. 2.
(5) M. T. Cic. in Verrem l. 2. c. 26.
(6) Choul. Relig. Rom. p. 189. Mus. Musellian. t. I. tab. 1.

genteis Caji (1) Caesaris, ubi lituus, et apex; in argenteis item Marci Volteii, Lentulique (2) Spinteris, in argenteis denique Marci Antonii triumviri reipublicae constituendae, Caesaris Augusti, Antonini, ac Marci Aurelii exprimuntur (3).

30. Vestem vero candidam, eamque lineam Hebraica in lege imperatam, qua, et nos usque in sacris utimur, et ad talos demissam, nedum apud Romanos, verum apud et Graecos, et Asiaticos, a quibus, ut ait (4) Cicero, *ad alios pervenisse putatur humanitas*, legimus usurpatam. Ita enim Graecae ait historiae parens (5) Herodotus: *Linea ferunt vestimenta semper recens abluta, huic rei praecipue vacantes*; Lucianus autem nedum vestem candidam sacerdotibus, et pileum attribuit, verum etiam uni eorum antistiti (6) auream sibi notat licuisse thiaram: ita enim ait: *Sacerdotes ipsi multi eliguntur, quorum alii quidem hostias mactant, alii libamenta ferunt: vestis tota candida, et pileum in capite gestant: summus autem sacerdos, alius, ac novus unoquoque anno subrogatur; solusque is purpuream vestem gerit, et tiara aurea redimitur*. Inde igitur est, quod (7) Otho imperator *sacra Isidis* (Svetonio teste) *saepe in lintea, religiosaque veste celebravit*.

31. Non erit sane hic ἀλογίστως hujusce ad nos usque deducti moris causam inquirere. Non aliunde morem lineae induendae vestis in sacris arbitror derivatum, quam ab ipsamet per lineam vestem exhibita puritate. Quid enim magis puriori hominum generi, quam pura vestis aptatur? quae vero purior, quam linea? Jure igitur easdem Plutarchus causas excogitans, haec (8) ait: *Sunt qui dicunt sacerdotes linum gerere ob colorem, quem flos lini habet similem nitori aetheris Mundum ambientis: vera autem eorum causa est, quod purum tangi a non puro est nefas; atque nullum excrementum alimenti, nullum rejectaneum purum, castumque est. Caeterum ex excrementis nascuntur lanae, villi, crines, ungues atque germinant. Linum porro a terra nascitur immortali, et vestem exhibet tenuem, ac puram, et est apta omnibus anni temporibus, minimeque pediculos gignit*.

32. Quam ob rem Romanis ubique scriptoribus nil frequentius, quam vestium mentio candidarum, dum sacra loquuntur; unde Virgilius dum sacerdotem describit, haec ait (9):

 pu-

(1) Choul. p. 109. et 190. Museum Musellian. tom. 1. tab. 1. n. 3. 6. e 7.
(2) Choul. p. 117. et 192.
(3) Choul. p. 190. 191. 196. 197. et 244.
(4) M. T. Cic. ad Q. Frat. ep. 1. p. 569. lit. B.
(5) Herodot. l. 2. p. 116.
(6) Lucian. de Dea Siria t. 2. p. 679.
(7) Sveton. in Othone c. 12.
(8) Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 352.
(9) Virgil. Aeneid. l. 12. v. 169.

. . . . . . *puraque in veste sacerdos*,

Tibullus vero causam et addit inquiens (1):

Casta placent superis: pura cum veste venito.

Horatius tandem dies festos non nisi alba celebratos veste nobis indigitat (2):

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Accipite igitur, Sodales, tamquam καθολικὸν θεώρημα, puritatem in sacris rem esse omnium probatissimam: quare nil miror, si albam vestem, ut aptius puritatis indicium, atque argumentum, non tam veteres universi religionum cultores adoptaverint, quam nostri summa cum laude, ac ratione duxerint usurpandam.

33. A sacris ad sacrificia ipsa transeamus, in quibus, praeter initialem illam lustralis aquae aspersionem superius recensitam, duo nobis occurrunt, quorum alterum rei divinae principium, finem respicit alterum. Non prius igitur Romanus scandebat aram sacerdos, quam profanos, impiosque homines, ut a sacris secederent, admoneret.

. . . . *Procul o, procul este profani* (3),

Sacerdos Virgilianus exclamat. Horatius vero, dum se Musarum flaminem profitetur, suis a sacris elata voce profanos excludit.

Odi profanum vulgus, et arceo.
Favete linguis: Carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto (4).

Hanc vero omni ex parte laudabilem, imperatamque gentis non sanctae a sacris secessionem, nunc nostram indicare Ecclesiam quandoque sum arbitratus. Vix enim primum adit sacerdos altaris gradum, ac clara hos in impios voce elicit sensus. *Deus, discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, et doloso erue me* (5): re tamen melius perpensa, non audeo id asserere.

34. Quos autem adstantes sacrificiis retinuerant celebraturi sacra Pontifices, eos, absolutis sacris, leni hac voce dimittebant: *Ite, licet*: quem sane morem Ecclesia recepit, ac retinet: dum enim suum sacerdos absolvit sacrificium, illis populum omnino similibus (6) dimittit verbis: *Ite, Missa est*. Hanc animadversionem, uti eruditissimo Guillelmo Choul totam debeo, ita non abs re duco ip-

(1) Tibull. Eleg. 1. v. 13. l. 2.
(2) Horat. sat. 2. l. 2.
(3) Virgil. in Aeneid.
(4) Horat. Odar. l. 3. od. 1.
(5) In Introit. Missae.
(6) In fine Miſsae.

ipsissima (1) ejus verba hic adnotare : *Ora appresso a tutte queste cose il prete licenziava ognuno , come mostra Virgilio quando dice :*

. . . . *dixitque novissima verba :*

cioè : I , *licet : volendo mostrare , che il sagrificio era fornito ; come oggi ancora fanno i nostri preti alla fine della Messa , quando dicono* : *Ite , Missa est .*

35. Sicuti vero hostiarum oblatione placari numina putabant veteres , ita , et necessitatibus publicis id exigentibus , majorem quamdam animorum demissionem , ad avertendam deorum iram , supplicationum indictione , opportunam arbitrabantur . Quare cum visa , aut audita prodigia , cum fulmina crebra , cum gravis pestilentia , aut motus terrae mortalium animos exagitarent , supplicationes publico decreto indicebantur : *Eo anno* , ait (2) Livius , *prodigia multa fuerunt , quorum averruncandorum causa supplicationem senatus in biduum decrevit* . Quia vero eclipsis causas vetustiorum Quiritium plerique ignorabant (quod vel Claudii (3) usque Caesaris tempore evenisse constat , dum is natali suo , quo Solis defectus erat futurus , veritus , ne quis inde tumultus existeret , publice edidit causas , ob quas esset eventurus) ideo , cum tenebrae interdiu oborirentur , supplicatio decernebatur nudis etiam quandoque pedibus , ut in primo libro (4) animadvertimus : *Supplicatio in triduum* (sunt verba Livii) *pro collegio decemvirorum imperata fuit in omnibus compitis , quod luce , inter horam tertiam ferme , et quartam , tenebrae obortae sunt* (5) .

36. Cum vero vel crebris deformarentur loca fulminibus , vel gravis urbem , aut campos pestilentia vastaret , supplicationibus numina rogabantur : quod clare idem indicat Livius , qui , ob crebra e coelo dilapsa fulmina , haec (6) ait : *Ob fulminibus complura loca deformata ad aedem Jovis ut supplicatio diem unum esset* : ob debachantem vero pestilentiam haec (7) scribit : *Supplicatio ex decemvirorum decreto pro valetudine populi fuit per triduum , quia gravis pestilentia urbem , atque agros vastabat* :

37. Tandem quoties terra movisset nedum ferias per praetorem indici , verum etiam obsecrationem haberi moribus (8) commendatum . Igitur non abs re Claudius imperator, Svetonio (9) teste : *Observavit sedulo , ut quoties terra in Urbe movisset , ferias , advo-*

(1) Choul. Relig. Rom. p. 243.
(2) T. Liv. l. 10. c. 23.
(3) Dio Cassius hist. l. 60. p. 577.
(4) Urban. quaest. l. 1. dissert. 1. n. 22.
(5) T. Liv. l. 38. c. 36.
(6) Idem l. 45. c. 45.
(7) Idem l. 38 c. 44.
(8) A Gell. l. 2. c. 28. l. 4. c. 6. lib. 10. c. 24 Macrob. Saturnal. l. 1. c. 4. et 15.
(9) Sveton. in Claud. c. 22.

Digitized by Google

vocata concione, praetor indiceret; utque ob dira in Urbe, aut Capitolio visa, obsecratio haberetur, eamque ipse, jure pontificis maximi, commonito pro rostris populo, praeiret. Dum vero haec scribo crebris ita in dies terra motibus agitatur, ut post supplicationes publica auctoritate decretas, atque iteratas, vetitaque spectacula, obsecrationem per annos quinquagenos Deiparae habendam senatus indixerit: quod felix, faustumque nobis, urbique huic cedat universae.

38. Neque primi suis obsecrationibus caruere Christicolae; tum major supplicatio apud nos invecta, et tres minores additae, quas proprio rogationum vocabulo nuncupamus. Major quidem (1) Gregorio, minores communius Mamerto Viennae antistiti velut primis referuntur auctoribus, quasi non ante quintum Ecclesiae seculum in nostra illatae fuerint ecclesiam. Ita enim de majori ait ipse (2) Gregorius: *Solemnitas annuae devotionis nos, fratres dilectissimi, admonet, ut litaniam, quae major ab omnibus appellatur, sollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare*. De minoribus vero Sidonii testimonium habemus Apollinaris, qui haec (3) scripsit: *Quidquid illud est, quod otio, aut negotio vacas, in Urbem tamen ni fallimur, rogationum contemplatione revocabere, quarum nobis solemnitatem primus Mamertus pater, et pontifex, reverentissimo exemplo, utilissimo experimento, invenit, instituit, invexit*.

39. Verum quidquid plerique sentiant neque majoris Gregorium supplicationis, neque Mamertum fuisse censeo minorum auctorem; sed geminos potius horum solemnium reformatores, seu, ut itam dicam, concinnatores fuisse arbitrabor. Quo enim modo majorem a Gregorio invectam quis credat supplicationem, quam ipse nedum annuam praedicat, sed majorem ab omnibus appellatam pronunciat? Quomodo annua? Quomodo major ab omnibus nuncupata? Quomodo jam omnes noscebant, si ipse primus invenit? Propagatam ergo potius ab eo quam inventam, concinnatam, quam institutam merito reputabimus.

40. Quod de Gregorio diximus, de Mamerto asserere non dubitamus. Licet enim Sidonius verbis affirmaverit conceptissimis, invexisse, instituisse Mamertum, adhuc tamen in sententia maneo; Sidonioque Sidonium objiciam, qui meam muniat profecto sententiam. Non enim inficias ibo, supplicationes per Mamertum certo ritu sancitas, ac meliori fuisse, ut ita dicam, ordine designatas; at

(1) Durand. Ration. lib. 6. c. 102. n. 4. Card. Baron. Martyrolog. Rom. ad diem 25. Aprilis. Martene t. 4. de divin. offic. c. 7. num. 1. Bened. XIV. seu potius Emus Card. Prosp. Lambert. in sua notific. 3. l. 1.

(2) S. Gregr. l. 2. reg. in princip.

(3) Sid. Apollin. l. 7. ep. 14.

at supplicationes omnino inventas, invectas, institutas fuisse inficior; idque Sidonius ipsemet quam luculenter ostendit dum subdit (1): *Quippe prius (quod salva fidei pace dictum sit) vagae, infrequentesque, utque sic dixerim, oscitabundae supplicationes*. Supplicationes igitur ante Mamertum nedum inventae, sed et in ecclesiam invectae, sed et quintum ante seculum institutae, licet vagae, et oscitabundae. Reformator igitur, concinnator supplicationum Mamertus, non inventor, non invector, non institutor.

47. Caeterum uti veteres ad averruncandam deorum iram, atque arcendas longe fulminum, terrae motuum, pestilentiae, calamitates supplicationem instituerant, ita, et sanctissimi Ecclesiae praesules idem fuerunt opportuna supplicationum invectione professi, in quibus ad pestilentias, terrae motus, tempestatesque sonoras avverruncandas Deo optimo maximo preces funduntur. Quin immo cum in quibusdam forte regionibus belluarum copia ferocium id effecisset, ut civitates sine hominum detrimento esse non possent, fuere supplicationes, ad comprimendam ferarum iram indictae, ut clare nobis Avitus, et Gregorius Turonensis indigitant (2). Quam ob rem in volumine illo quod (3) sacerdotale appellamus, haec ferme habemus: *In aliquibus ecclesiis solent portari dracones, et lupi super perticas, ad denotandum, quare instituta fuit haec processio*.

42. At nedum ethnici, cum publicae urgerent angustiae, victimis, supplicatione, jejuniis, nudipedalibus, ad arcendam deorum iram numina placare tentabant, verum etiam cum voti compotes fierent vitatas post aerumnas, ac tempestates, seu recuperatam ob valetudinem, donariis templo appositis libentes merito vota ipsa solvebant: quem sane morem et nos accepimus, acceptumque summa cum religione servamus. Antequam vero in hanc sententiam descenderem, diu, multumque dubitavi num morem hunc potius ab eo Philistinorum exemplo deducerem, de quo primo Regum (4) libro nobis est traditum. Populi enim illi mariscis afflicti, muribusque percussi, aureos anos, muresque, Deo donandos censuere. Verum, re melius perpensa, nostrum a gentibus potius deductum fuisse morem sum arbitratus. Philistaei namque, non pro salute suscepta, sed pro admisso scelere vota exolverunt, nec suspensa apud arcam reliquerunt, sed in quadam posuere capsella; quae duae res a more longe absunt nostro: ita enim Philistaei loque-

(1) Sidon. Apollinar. ibid.
(2) S. Avit. in Sermon. Rogat. et Menardo edit. Gregor. Turon. hist. l. 2. c. 34.
(3) In lib. Eccleſ. dicto Sacerdotale.
(4) Cap. 6.

Digitized by Google

quebantur. *Quid est, QVOD PRO DELICTO reddere debemus ei? Responderuntque illi: juxta numerum provinciarum Philistinorum quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos, quia plaga una fuit omnibus vobis et satrapis vestris, facietisque similitudinem anorum vestrorum, et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam, si FORTE relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra:* et paulo post: *quae exolvistis ei PRO DELICTO ponetis in capsellam*: et paulo post: *et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quae habebat mures aureos, et similitudines anorum.* Cum igitur Philistaei pro *delicto*, et non pro *suscepta*, sed pro *suscipienda FORTE* salute, aurea in *capsellam* vasa, anorum similitudinem referentia, posuissent, universa haec nostris moribus non bene convenire judicavi. Pro suscepta enim, non pro suscipienda salute oculos, pedes aureos aut argenteos, pictasque tabellas Divis opem ferentibus devote suspendimus, non vero capsellis includimus. Morem igitur a gentibus derivasse probabilius existimo: qui enim ex illis opthalmia aut lippitudine laborassent, pristinumque deorum ope se visum recepisse credidissent, fabrefactos aureos, aut argenteos (eo plane more, qui nostris adhuc templis manet integer) diis salutaribus dicabant oculos. Luculentam profecto, quae id probet, Pitiscus, ac Reinesius exhibent inscriptionem, licet ambo in ea explicanda aut fallantur, aut fallant: ea porro sic se habet (1).

I. PATROCLUS
FABER OCULARIARIUS.

43. Ambobus liceat ineptire, dum putant se conspicillorum fabrum (sive, ut vulgus ait, *un fabbricatore di occhiali*) in hoc Patroclo feliciter reperisse. Ego in eam abeo sententiam, ut credam, Patroclum (ut Graecum nomen ostendit) servae conditionis hominem, atque aurificem, aureorum, atque argenteorum fuisse fabrum oculorum votivae tabellae affigendorum, quo facilius, decentiusque templorum parieti suspenderentur, ac salutis receptae fausti essent omnino testes, ac sempiterni; eoque libentius in hanc descendo sententiam, quo clarissimo, atque immortalis memoriae viro Ludovico Muratorio eam agnovi fuisse acceptam: is enim, dum inscriptionem, a Reinesio, et Pitisco traditam, memorat, haec ingenue professus est: *Per me tengo non altro significar quella voce (oculariarius) che chi formava degli occhi da appender ne' templi per la ricuperata salute* (2). 44. Quid

(1) Pitisc. in suo Lexico verb. „Oculariarius. Reines. inscription. Class. 11. n. 66.

(2) Murat. Antich. Ital. dissert. 24. p. 90.

Digitized by Google

44. Quid vero apud veteres Romanos magis usu receptum, quam, ob aerumnam coelesti ope vitatam, votivam tabulam penicillo, aut ductili cera expressam, divis suspendisse adjutoribus?

Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida.
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo (1).

Exoluta haec igitur divis vota, salutaribus votivisque ad memoriam beneficii sempiternam tabellis commissa, perpessos valetudinis, aut fortunae casus ita exprimebant, ut luculenter, et vitatae aerumnae, et suscepti, ut falso putabant, adjumenti memoriam continerent, quod accurate eruditissimus Choul per haec (2) verba adnotavit: *Secondo le fortune, che avevano scampate, e la qualità de' voti fatti, eglino appiccavano alle mura de' templi le tavole, dove erano dipinti tutti i casi, siccome oggi si costuma in Fiorenza, e in molte altre chiese d'Italia.*

45. Quod de oculis diximus, de auribus dictum volumus. Sicut enim antiquas Romanorum intuentibus inscriptiones passim ocularii atque auricularii (3) occurrunt medici, ita, cum eorum foret ars, et medela inefficax, qui oculorum, aut aurium morbo laborassent, divorum opem implorabant, votique compotes facti, aures, oculosve ex auro, aut argento, divorum, quos opem sibi tulisse perperam opinabantur, templis dedicabant. Perbelle ad hunc morem designandum opportunam profert inscriptionem clarissimus ejus operis scriptor Latino simul et Gallico sermone exarati, cui titulus: *Antiquitates sacrae, et civiles Romanorum explicatae*: Is enim in prologo (4) hunc exhibet lapidem.

MINERVAE AUG.
L. CALLIDIUS PRIMUS.
AURES ARGENTEAS.
V. S. L. M.

46. Non hunc certe lapidem puto cum altero illo confundendum, quem idem in haec verba protulit ſcriptor (5).

AURIBUS.
B. D. D.
PEDRUSIA PROBA.

(1) Horatius Odar. l. 1. od. 5.
(2) Choul. Relig. Rom. p. 215.
(3) In Museo Veronensi p. 275. n. 6. p. 135. n. 1., et 2. p. 284. n. 1.
(4) Impress. Agae Comitum 1726. p. 38.
(5) Ibidem p. 35.

Digitized by Google

Mirum in modum scriptor hic licet clarissimus errasse videtur, dum aures has divas fuisse putat eo plane modo, quo risum veteres fecere divum. Nil meo quidem sensu absurdius. Itaque sic marmor lego, atque expono.

AURIBUS
BONAE DEAE DICAVIT
PEDRUSIA PROBA.

hoc est: *Pedrusia proba dicavit auribus Bonae deae inaures, sive ex lapillis, sive ex margaritis compositas*: nil sane planius, nil Romano mori accommodatius, nil inter Quirites communius, quam inaures divarum auribus imponere, consecrare. Aelius enim Lampridius haec (1) de Alexandro tradit: *Cum quidam uniones duos uxori ejus per ipsum obtulisset magni ponderis, et inusitatae mensurae, vendi eos jussit; qui cum praetium non invenirent, ne exemplum malum a regina nasceretur, si eo uteretur, quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicavit.* Quid porro nitidius ad Pedrusiae Probae lapidem explicandum?

47. Dixi, non haec confundenda cum auribus ob receptam aurium salutem parieti templorum appositis: quas enim Pedrusia Bonae deae dicavit, non aures fuere, sed inaures ex gemmis seu margaritis compositae, nobilius nempe donarii genus, quod apud nos etiam invaluit, vimque suam adhuc retinet sane laudabilem. Nemo enim ignorat Deiparam Matrem in universis pene municipiis coronis, torquibus, lapillis, margaritis, inauribus, donatam obsequiosa populorum devotione collatis. De his igitur inauribus Bonae deae dicatis lapis ille agit; numquam vero aures exhibet deas, quo nil absurdius, ineptiusque. Inauribus autem praeditam fuisse Bonam deam (quae idem Romanis ac Rhea sonabat) vel ex sequioris aevi scriptore Zosimo aperte colligitur, qui Serenam Stiliconis uxorem capitis damnatam, justas tulisse ait (2) sacrilegii poenas, eo quod monile, et inaures Rheae dicatas abstulerit.

48. Quod si et Pitiscus (3) in eam inclinat Gallici auctoris sententiam, ut aures authumet deas extitisse, decipi in eo certe videtur, quod nullum ad id, quod probare conatur, nitidum praebet indicium. Nil enim probat risum, ut apud Apulejum (4) legimus, fuisse consecratum; habitamque (5) apud Tacitum *precandam modestiam*. Corporis enim qualitates, ac passiones factas fuisse divas lego, corporis partes non lego. Itaque febrim, risum, modestiam, et si-

(1) Aelius Lampridius in Vit. Alexandri Severi p. 137.
(2) Zosim hist. l. 5. c. 37.
(3) Pitisc. in Lexic. t. 1. verb. Auris.
(4) L. Apul. Metamorph. l. 3.
(5) Corn. Tacit. in Annal. l. 4.

et similia inter divos adscribi placuit; at non pes umquam, aut oculus fuere divinitate donati.

49. Nec nos sane vel tantillum a sententia dimovet, quod Gallicus addit auctor (1), virile membrum in Italiae compitis plostello impositum per Liberi dies festos circa rura, et urbes vectari solitum: quod de muliebri etiam vagina in sacris Cereris factum erat; quin immo vires taurorum, seu partes tauri genitales in tauroboliis solemnibus consecrari, ut a duplici per eum relata inscriptione patere putat, quarum altera sic se habet:

SEVERVS IVL. FIL.
VIRES TAVRI CONSECRAVIT.

altera vero sic:

VIRIBVS SACRVM

nam ex hisce potius contrarium colligo. Membra siquidem genitalia, in sacris Liberi, Cererisque plaustris imposita, erant *symbola* potius, quam *numina*; ideoque non habita ea membra pro divis, sed tamquam Libero, Cererique dicata mysteria: humanam enim propagationem a Cerere, ac Libero adiutam esse veteres per symbola illa monstrabant; nempe illa numina a glandiferis sylvis ad panem, vinumque, uno verbo, per communem agrorum cultum ad laudabile societatis genus homines invitasse, quo nomine ea Georgicorum initio Virgilius invocat (2).

. . . . . Vos o clarissima Mundi
Lumina, labentem Coelo qui ducitis annum:
Liber, et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloja miscuit uvis,
Munera vestra cano.

50. Vires igitur tauri in prima inscriptione recensitas, quas Severus Julii filius consecravit, potius quam divas credamus, proprio, germanoque sensu accipiamus oportet pro genitali tauri membro, a quo armenti genus agris utile propagatur, symbolice numini consecrato,

51. Altera vim aliquam afferret inscriptio, nisi aptior sensus ille esset, quo VIRES veris pro viribus adsumamus, non pro membris hominis genitalibus. Humanas enim passiones factas fuisse divas agnovimus. Quid autem aptius, quam athletam, aut militem, ut fortior fieret, viribus litasse credamus? Quid vero e contrario tam ab hominum gravitate alienum, quam membro sacra fa-

Z 2

(1) Antiquit. sacr. et civ. p. 38.

(2) Virgil. Georgicor. 1. in princip.

facere, quod *omnium hominum, deorumque pudor* (1) a Petronio vel ipso nuncupatur?

52. Quod igitur scriptori plusquam Milesio, ac penitus Lampsaceno, *nec nominare quidem* (2) *inter res serias fas est*, inter divos collocare quispiam audebit? Non ero igitur audaciae reus, si Gallicum hic judicaverim deceptum auctorem. Verum, ut illuc, unde discessit, nostra redeat oratio, ex oculis, auribus, inauribus, pictis tabellis, caeterisque donariis, divis oblatis, temploque suspensis, unusquisque jam videt morem apud nos etiam summa manere cum laude.

53. A donariis ad epulas descendamus. Neminem profecto vestrum latet, Sodales, quam Capitolinum illud lautum fuerit Jovis epulum; quam coenae illae Saliares, ac pontificales ita fuerint omni ferculorum genere abundantes, ut, cum lautissima se Tullius testari vellet exceptum coena, *saliarem in modum* se (3) coenasse dixerit; quam denique illae fuerint aut triumphales, aut mortuales epulae nedum opiparae, sed refertissimae, quae vel acto triumpho, vel in memoriam pararentur civium fortissimorum, domi, forisque rem publicam optime agentium. De his epulis alias (4) egimus. Itaque ne actum agam, de illis hic epulis verba faciam, quas (defaecato prius, ac inde sanctificato gentium more) quidam ex Christianis recepere, cum laeta potissimum esset martyrum celebranda memoria. Ut igitur apud veteres natalitia, funebria, connubialia convivia, ita apud Christianos tria haec conviviorum genera floruere, ut per haec (5) ipsissima verba testatur Nazianzenus, dum ait: *Insuper ad ſacrum aliquod epulum vel natalitium, vel ſunebre, vel connubiale cum pluribus currens*: connubiale vero ita castum, ita Milesio, aut Fescennino cantu, ac sermone vacans, ut episcopum Christicolae ad hoc epulum, eodem (6) Nazianzeno tradente, invitarent.

54. Natalitium porro hilariori, sanctiorique solemnitate indicebatur in memoriam martyrum fortissimorum, qui extremum pro Christo spiritum in ipsamet martyrii victoria effudissent: hi enim non modo non mortuos, sed ad veram natos, immortalemque vitam unusquisque jure quidem optimo arbitrabatur, ut felilicem illam, fortunatamque nativitatem laetissimis Christiani cupe-

---

(1) Petron. Arbitr. in Satir. p. 182. et seq. et dissert. 3. n. 3.
(2) Ibidem.
(3) M. T. Cic. ad Attic. l. 5. ep. 9.
(4) Urbanar. quaest. l. 1. dissert. 2. n. 14.
(5) S. Greg. Nazianz. de vitae different.
(6) Idem ib.

Digitized by Google

perent celebrare conviviis: *Ergo*, ait Nicolaus (1) Papa, *hi tunc nati utique Deo, cui omnia vivunt, quando visi sunt oculis insipientium mori: quod si quis de eorum nativitate laetatur, non jejuniis, non abstinentiis, non ullis debet vacare moeroribus*.

55. Idem pene in funebri epulo moris fuit. In obitu quippe illustrium hominum, aut clarissime foeminae, plurima populo sternebantur triclinia, unde profluis undique cibis unusquisque saturaretur. Quare in Rufinae funere epulum funebre summa Paulinus refert solemnitate celebratum; ita enim ait: *Video congregatos ita distincte per accubitus ordinari, et profluis omnes saturari cibis, ut ante oculos evangelicae benedictionis ubertas versetur* (2).

56. Haec autem ex recepto gentium more ad Christianos fluxisse convivia alius nemo Theodoreto, ac Nysseno nitidius ostendit. Theodoretus quippe conceptissimis ait verbis Jovis ac Liberi patris epulum cum Petri, Pauli, aliorumque martyrum fuisse populari epulo commutatum (3): *Pro Pandiis, et Dionysiis, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur*.

57. Porro Nyssenus nedum summa idem ingenuitate fatetur, verum etiam germanam deducti moris rationem adsignat. Dum enim Thaumaturgi Gregorii laudes exornat, quosdam ait illum sui temporis increpasse Christicolas, non solum voluptatibus deditos, verum etiam, quod pejus erat, in simulacrorum errore permanentes; quas ob res iisdem permississe, ut in memoriam sanctorum martyrum epulas celebrarent: *Cum enim advertisset, quod propter corporis voluptates IMPERITUM VULGUS IN ERRORE SIMULACRORUM PERMANERET, permisit eis, ut in memoriam sanctorum martyrum sese exhilararent, atque oblectarent, atque in laetitiam effunderentur* (4).

58. Cibariam vero hanc voluptatem mortalium animis ita solide constat sequiori usque aevo insedisse, ut Gregorius ille Magnus convivia, quae in festis deorum laeta celebrarentur, in convivia martyrum Britannis usque populis commutasset. Ita enim illos ad fidem recens conversos maximus ille universalis Ecclesiae Antistes alloquitur: *Qui boves solent in sacrificio doemonum multos occidere, debet HIS ETIAM DE HAC RE ALIQUA SOLEMNITAS IMMUTARI; ut die dedicationis ecclesiae, vel natalitio sanctorum mar-*

ty-

(1) Nicolaus Papa ad consulta Bulgaror. cap. 5.

(2) S. Paulin. In funere Rufinae.

(3) Theodoret. de Evang. veritat. de Martirib. l. 9.

(4) S. Greg. Nyssen. in Oration. de Vita S. Gregor. Thaumat.

tyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis solemnitatem celebrent (1).

59. Cum igitur, ut ait (2) Nazianzenus, *omnium ita martyrum memoria laeta solemnitate colenda esset*, ut cunctorum judicio, Cassiodoro (3) teste *sceleratissimus habendus esset*, qui talium *dierum gaudia temerare contenderet*, eo in augumenta rerum mens fuit humana proclivior, ac studiosior, ut solemnibus nedum epulis, verum etiam populosis nundinationum commerciis natalitia martyrum celebrarent; quem sane morem in aliquibus etiamnum locis perdurare conspexi. Eo autem nundinationes illae spectanda civium, ac peregrinorum undique confluentium frequentia ornabantur, ut magnus ille Basilius suis eas fecerit monachis inaccessas: *Nundinationes illae, quae in martyriis celebrari solitae sunt, convenire monachis putandae non sunt* (4).

60. Caeterum ita laetae civitatum martyrum sacra colentium facies, ut majori forte mercatu in nostris praecipue martyrum solemnibus nulla in praesens Italiae civitas gaudeat. Si enim Cassiodoro credimus (5): *Plurimi ad natale sancti Cypriani religiosissime venerant peragendum, mercimoniisque suis faciem civitatis ornandam*: quod sane suo Turonensis testimonio per haec (6) verba confirmat: *In supradicta igitur civitate, in qua beatos artus diximus tumulatos, adveniente festivitate, magnus adgregatur populorum coetus; ac de diversis regionibus cum votis, negociisque venientibus vendendi, comparandique per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia datur*: quo quidem testimonio nil luculentius arbitror, ut morem hunc ad nos usque probet deductum.

61. Unum superest circa natalem diem adnotandum. Non enim martyrum tantum dies natalis, sed hominum pene omnium festivitate donatus. Sane apud Quirites sacrificiis, floribus, unguentis, libis colebatur, atque conviviis. Sacrificiis quidem celebrabant: cui rei demonstrandae nil aliud in medium proferam, quam celeberrimam Narbonensis coloniae inscriptionem a saepius laudato Gallico (7) scriptore, quae sic se habet, relatam.

QUOD

(1) S. Greg. Magn. ep. 71. l. 9.
(2) S. Gregor. Nazianzenus Orat. in laud. S. Cyprien.
(3) Megn. Aurel. Cassiodorus Variar. l. 8. epist. ult.
(4) S. Basilius Reg. interpret. 40.
(5) Cassiodor. loc. cit.
(6) S. Gregor. Turon. de Glor. martyr. l. 1. c. 32. insert. in biblioth. Patrum t. 6. edit. Colon.
(7) Antiq. sac. et civil. in Prolog. p. 36.

QVOD BONVM FAVSTVM FELIXQVE SIT
IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO P. P. PONTIFICI MAXIMO
TRIB. POTESTATE XXXIV.
CONIVGI LIBERIS GENTIQVE EIVS SENATVI POPVLOQVE ROMANO
ET COLONIS INCOLISQVE C. I. P. N. M. (1) QVI SE NVMINI EIVS IN PERPERTVVM
COLENDO OBLIGAVERVNT
PLEBS NARBONENSIS ARAM NARBONE IN FORO POSVIT AD QVAM QVOT ANNIS
IX. KAL. OCTOBRIS QVA DIE EVM SECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM
AED:DIT TRES EQVITES ROMANI A PLEBE ET TRES LIBERTINI
HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT ET COLONIS ET INCOLIS AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS
THVS ET VINVM DE SVO EA DIE PRESTENT
ET VIII. (2) KAL. OCTOBRIS THVS ET VINVM COLONIS ET INCOLIS ITEM PRESTENT
KAL. QVOQVE IANVARIIS (3) THVS ET VINVM COLONIS ET INCOLIS PRESTENT VIII. ID.
IANVARII QVA DIE PRIMVM IMPERIVM ORBIS TERRARVM AVSPICATVS EST
THVRE VINO SVPPLICENT ET HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT
ET COLONIS INCOLIS QVE THVS ET VINVM EA DIE PRESTENT
ET PRIDIE KAL. IVNIAS QVOD EA DIE T. STATILIO TAVRO M. AEMILIO LEPIDO COSS.
IVDICIA PLEBIS DECVRIONIBVS CONIVNXIT HOSTIAS SINGVLAS IMMOLENT
ET THVS ET VINVM AD SVPPLICANDVM NVMINI EIVS
COLONIS ET INCOLIS PRESTENT.

En igitur sacra, natali praecipue Augusti die, colonis, atque incolis Narbonensibus indicta universis.

62. Floribus vero, unguentis, mero, ac libis natalem fuisse diem celebratum una poetae memorant voce dum ajunt.

Huc ades, et centum ludis, Geniumque choreis
Concelebra, et multo tempora funde mero (4).
Lucifer amborum natalibus affuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies (5).
Ipse suos adsit Genius visurus honores
Cui decorant sanctas florea serta comas:
Illius et puro distillent tempora nardo (6).

63. Tanta vero natalitii erat convivii festivitas, ut multo studio per plures ante dies domus emundaretur, dealbaretur, ornaretur; deliciaeque omnes, quae ad laetitiam corporis, animique augendam pertinerent, sedula omnino cura providerentur, neque ab altioris tantum notae viris, verum etiam ab infimis usque, et sordidissimis. Quid enim lenone ipso aut vilius, aut impurius excogi-

(1) Coloniae Juliae Patrensis Narbonensis Martiae non verò Paternae, ut legit laudatus auctor.
(2) Hoc est pridie ac die natali; Pervigilio nempe festum colebant diem.
(3) Recte; quia Kalendis illis annus auspicatur.
(4) Tibull. l. 1. eleg. 1.
(5) Ovid. Trist. l. 4. eleg. 10.
(6) Tibull. l. 4. eleg. 3.

gitari umquam valet? Plautinus tamen leno, dum natalis dies eluceſcit suus, haec ait (1):

Tibi hoc praecipio, ut niteant aedes; habes quod facias, propera, abi intro
Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, idem extruito:
Haec, cum ego a foro revertor, facite ut offendam parata,
Vorsa, praesterga, strata, lautaque, coctaque omnia ut sint:
Nam mihi hodie natalis dies est: decet eum omnes vos concelebrare,
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant. Satin audis?
Magnifice volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse, reantur.
Intro abite, atque haec cito celebrate: ne mora quae sit, coquus cum veniat
Mihi: ego eo in macellum, ut piscium quicquid est pretio praestinem.

64. Idem plane mos ad Christianos derivatus; et licet apud privatos nunc temporis obsoletus, summa tamen anteactis temporibus cura observatus: quod profecto ex testimonio auctoris sermonis S. Augustino olim tributi, quo orationi finem imponam, patebit quam nitide: ita enim de sui aevi Christicolis loquitur magnus ille Africae antistes; *Considerate quando aliquis potens homo aut nobilis, natalem suum, aut filii sui, celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quidquid in domo sua sordidum invenerit ordinet emundari, quidquid ineptum, et incongruum proijci, quidquid utile et necessarium, praecipit exhiberi: domus etiam, si obscura fuerit, dealbatur, pavimenta scopis mundantur, et diversis respersa floribus adornantur: quidquid etiam ad laetitiam animi, et corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur* (2).

65. Aequum autem erat omnino apud veteres, ut sicuti vario natalem diem honore prosequebantur, ita honoratum enim haberent diem, quo vitam cum morte commutabant, quique in annos singulos recurrebat, juxta Virgilianum illud dictum (3):

Jamque dies, ni fallor adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum, sic Dj voluistis, habebo.

Itaque de illis hìc agam honoribus, quos, tam obitu in ipso, quam in annua die, in qua (4) *cineres sacro gaudebant anniversario parentari*, pietas veterum fuit elargita, quosque ipsimet veteres adhibuere Christicolae. Honesta igitur cadaverum collocatio, thuris, et unguentorum copia, lautus epularum apparatus, cereorum moles, ca-

(1) Plaut. in Pseudolo act. 1. sc. 2.
(2) Serm. 1. de Adventu, qui est CXV. in Append. ad ser. S. Augustini.
(3) Virg. Aeneid. 5.
(4) Vetus inscript.

canentium voces, praeficarumque ululatus, vestes demum dignitatis, quibus ornata ad bustum decenter cadavera procedebant, honoratum funeris reddebant diem. Levi singula tangam calamo.

66. Vestibus itaque dignitatis, qua quisque pollebat, non ommittebant sane Quirites in funere cadavera mortuorum induere; quin immo ea erat funerum cura, ut praetiosioribus stragulis auro quandoque intextis clariorum cadavera virorum funerarentur. Quare pessimus ille omnium, qui fuere, quique futuri sunt, Nero, licet compendiosis sane tumulatus exequiis, tamen Svetonio (1) teste: *Funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis, auro intextis*. Toga vero, quae civem a peregrino distinguebat, eo fida erat mortuo comes, *ut parari eam unice voto et funeri*, non dubitaverit Apulejus asserere (2).

67. Caesarum quidem Flaviorum aevo, quo populi rigidiorem in vestitu Italia pene tota disciplinam abjecerant, togae nullus usus praeter quam in exequiis, in quibus mortuus sane togatus:

Pars magna Italiae, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus (3).

Quam ob rem si magistratu quis, aut sacerdotio, insignis esset, ut praetextatus purpura uteretur, cum ea cremandus sane fuisset: *Purpura*, ait (4) Livius, *viri utimur praetextati in magistratibus, in sacerdotiis; nec id, ut vivi solum habeamus insigne, sed etiam ut cum eo crememur mortui*: itaque ita solemne erat Quiritibus, ut morem neque tunc negligendum putarent, cum in miserrimo vitae statu constituti, manus sibi violentas inferrent: quare Varus Quinctilius, teste Paterculo: *Liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatus est* (5).

68. Morem non sane absurdum ad Christianos deductum ab Urbis eternae Praesulibus summa legimus cum ratione sanctificatum. Eutichianus quippe, si Anastasio (6) credimus: *Constituit, ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato, nulla ratione sepeliret*: dalmatica autem juxta (7) Isidorum erat tunica sacerdotalis candida cum clavis, et purpura; colobium vero idem ait esse (8) Cujacius, ac *latum clavum, seu tunicam laticlavi*.

69. Profecto Paschalis I. pontifex invenisse dicitur S. Caeciliae (9) corpus: *in aureis indumentis*. Hanno autem Coloniae archie-

A a pi-

(1) Sveton. in Neron. cap. 50.
(2) L. Apul. Floridor. l. 1.
(3) Juvenal. sat. 3.
(4) T. Liv. l. 34.
(5) Vellius Paterculus hist. l. 2.
(6) Anast. Bibl. in Vita Eutichiani Pap.
(7) Isidor. l. 19. Orig. c. 22.
(8) Cujac. l. 1. Observation.
(9) Ex liter. Paschal. I. apud Bosium in hist. Passion. S. Caeciliae p.44.

Digitized by Google

piscopus Gregorium repperit (1) martyrem *clamide purpurea circumdatum ejus extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus*: denique Cleopatra nobilis matrona *corpus sancti Vari praetiosis unxit aromatibus, et* (2) *splendidis induit vestibus*. Quam ob rem morem Eusebius hunc in universa Ecclesia his tradit verbis (3) acceptum: *Occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, amice complecti, lavare accurate*: quae sane omnia Quirites multo antea servabant, et sedulo servanda ducebant.

70. Verum non una vestium ornamenta satis esse putabant, nisi opportuno Quirites mortuorum cadavera cantu, et laudatione prosequerentur: id enim omnium ferme gentium his tradit verbis (4) Macrobius instituta sanxisse: *mortuos quoque ad sepulturam persequi oportere cum cantu, plurimarum gentium, vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, qua post corpus ad originem dulcedinis musicae, idest ad Coelum redire credantur*. Deorum igitur ira, atque odio factum ait Cicero (5) ut Clodii cadaver: *Sine cantu, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, et luto, ambureretur abjectus*. Cum nullum itaque funus suo cantu, suoque siticine caruisset, inde siticines ait (6) Gellius dictos: *Quia apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos, et sepultos*.

71. Neque cantu, neque laudatione, qua veteres utebantur in principum, sive etiam clariorum virorum funeribus, caruere Christicolae: quare, et cantibus, et laudatione a priscis derivata usi sunt. Clarissimum laudationis exemplum summus tradit (7) orator Ambrosius; quem sane morem ad nostram usque aetatem vigere nemo non videt.

73. Quo vero ad cantus pertinet, perbellum Hieronymus habet (8) locum, ubi de Paulae scribit ad Eustochium exequiis: ita enim ait: *Translataque episcoporum manibus, et cervicem feretro subjicientibus, cum alii pontifices lampadas, cereosque perferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncae Salvatoris est posita*. Ante Hieronymum vero de Petro Alexandrino (9) haec traduntur: *Martyrem, capite plexum in throno episcopali collocarunt; tum psalmos, in signum victoriae, hymnosque Deo cecinerunt*: itemque de Ermelindae funere haec (10) habentur: *Ad cujus exequias non hominum tantum re-*

(1) Ex Vita S. Hannonis scripta a Reginart penes Surium 4. Decemb.
(2) Ex actis S. Vari apud Surium 18. Octobris.
(3) Euseb. Caesariens. hist. eccl. lib. 7. cap. 10.
(4) Macrob. in somn. Scipion. l. 2.
(5) M. T. Cic. in orat. pro Milon.
(6) A. Gell. l. 20. c. 2.
(7) S. Ambros. in Funere Valentin. Imp.
(8) S. Hieron. in epitaph. Paulae ad Eustochium.
(9) Cornel. a Lapid. in cap. 7. Apocalips. v. 8. ex Actis S. Petri episc. Alexand.
(10) Ex Codic. antiq. apud Surium 29. Octobr.

Digitized by Google

resonabat turba, sed hymni diu angelorum chori Christo cecinerant gloriam.

73. Quam ob rem nihil tam atrox, tamque acerbum arbitratus est Victor (1) in Vandalica persecutione perpessos esse Christicolas, quam indictum in Christianorum funeribus a tyranno silentium; hac enim, scripta sane miserabiliter, oratione suum effundit imo ex corde dolorem: *Quis vero sustineat, aut posset sine lacrymis recordare, dum praeciperet nostrorum corpora defunctorum solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulcrum perduci?* Itaque summa cum ratione in eo volumine, quod Rituale Romanum (2) inscribitur, *vetustissimus, ac justissimus canendi ritus in funere declaratur, una et praecipitur.*

74. At sicuti veteres sine cantu, ita et sine lamentis non se justa persolvisse censebant: lamentis autem praeficae non tam interesse, quam praeesse dicebantur; quippe quae ad miserabile officium praesentissimis erant nummis conductae; itaque ut ait (3) Lucilius:

. . . . . Flent alieno in funere praeficae
Multo, et capillos scindunt, et clamant magis.

Equidem mammas in luctu dilaniare proprium (4) erat praeficarum munus, itemque capillos scindere, ululatibus vias implere: haec autem ideo agebant, ut ostenso inferis sanguine satisfacerent; hanc enim fuisse Varronis opinionem ostendit Servius, dum (5) ait: *Varro dicit mulieres in exequiis, et luctu, ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso, inferis satisfaciant.*

75. Mos non sane laudandus aliquos ad Christianos defluxisse videtur, ac radices egisset, nisi sanctissimi Ecclesiae praesules lacrymas, non tam ad dolorem, quam ad doloris ostentationem paratas merito improbassent, ac morbum alicubi invalescentem omnino depulissent. Quare magnus ille Greciae orator Chrysostomus in damnandam illam consuetudinem ita invehitur: *Cum aliis malis hic muliebris morbus jam praevaluit: ostentant planctus, et dolores suos: cruentant brachia, scindunt capillos, laniant genas partim ad dolorem, partim ad ostentationem (6).*

76. Nihil autem tam decens in funere, quam pompa funalium. Sicut enim funalia a funibus cera circumdatis, ita funus a funalibus (7) nomen accepit: postea ceratis papyris, cereisque, funalia cessere.

 Ve-

(1) S. Victor in hist. persecution. Vandalicae l. 1. c. 5.
(2) In Rituali Rom. sub tit. de exequiis.
(3) Lucilius sat. 22.
(4) Artemidorus l. 1. cap. 43. de Mamm.
(5) Serv. in Aeneid. *l.* 3.
(6) S. Jo. Chrisostom. in cap. 11. Joannis hom. 6t.
(7) Servius in Aeneid. l. 2. v. 731.

Verum nefas funeri sine funalium copia interesse. Hinc Masgabae parentalia multis ait (1) Svetonius celebrata luminibus; hinc Martis Campum in clarioribus funeribus velut (2) ardere facibus visum; hinc denique servi quandoque manu sunt missi, modo testatoris monumento lucernam accenderent, servarentque (3). Verum de lucernis, et cereis superiori satis oratione (4) dictum puto.

77. Morem hunc primis acceptum, probatumque fuisse Christicolis vel ex eo, quod acta tradunt Cypriani a Pontio (5) descripta; erui facile potest: ita enim ajunt: *Inde cum cereis, et scholaribus in arca cujusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est.* Quid, quod in funere Meletii a Gregorio (6) Nysseno dicuntur: *Quasi ignei omnes continentibus facibus tractu continuo, perpetuoque fluentes.*

78. Nec injuria. Quid enim aptius, quam luminum copia demonstrat Christianos, fidei lumine coruscantes, ad beatam veri Luminis sedem multa cum gloria pervenisse? Recte igitur cereorum copiam Hieronymus commendavit (7): *Ad significandum lumine fidei illustratos sanctos decessisse, et modo in suprema patria lumine gloriae splendere.* Servatum hoc igitur religiose legimus apud veteres ubique Christicolas: quare de Clementis (8) corpore haec tradunt acta: *Sollicitudinem omnem solvens, et moerorem, lucernarum accendit multitudinem; et tollens corpus, mundis vestibus involuit.* De Procli vero corpore, ob metum paganorum parvo cum lumine sepulto, haec (9) habent: *Sepelierunt eum cum parvo luminari propter turbam gentilium.* Inde igitur est, quod Chrysostomi cadaveri Theodoreto (10) teste, *populus obvius profectus est cum cereis, et funalibus*: atque inde est, quod Gregorius (11) Turonensis asserat: *Multitudinem albatorum visam tenentium cereos, atque psallentium*: ut morem hunc nedum in Ecclesia comprobatum, sed et Coelo fuisse testetur acceptum.

79. Itaque mos nostris usque temporibus non solum inviolatus existit, verum etiam praecipitur non violandus; ita enim in eo legimus volumine, quod Rituale est nuncupatum: *Cum autem antiquissimi ritus ecclesiastici sit cereos accensos in funeribus deferri, caveant ne hujusmodi ritus ommittantur, ac ne quid avare, aut indigne in eo committatur* (12).

80. Enim

(1) Sveton. in Augusto c. 98.
(2) Corn. Tacit. annal. 1.
(3) Leg. 44. ff. de manumiss. testam.
(4) Urb. quaest. l. 3. diss. 1.
(5) Pontius in Actis S. Cypriani.
(6) S. Greg. Nyssenus in funere Meletii.
(7) S. Hieron. in Vit. Paulae.
(8) Ex Actis Clementis episcopi, et martiris Ancirani penes Bolland. 23. Jannar.
(9) Ex Act. S. Proculi penes Bolland. 21. Januer.
(10) Theodoret. l. 1. c. 34.
(11) S. Greg. Turon. de Glor. confessor. cap. 30.
(12) In Ritual. Roman. sub tit. de Exeq.

80. Enim vero Quiritium funera nedum multis nitebant celebrata luminibus, verum etiam thuris, et aromatum copia honestabantur: quem sane morem scriptores pene omnes indigitant:

: : . . . Congesta cremantur
Thurea dona;

ait (1) Virgilius, et Martialis:

Vnguenta, et cassias, et olentem funera myrrham
Thuraque de medio semicremata rogo (2).

Hunc vero ad nos manasse vel ex eo colligi facile potest, quod abunde notavimus dum de mortuorum anastasi verba (3) fecimus. Unam hic Mabillonii animadversionem subjecisse sufficiat, quae morem ostendit religiose servatum; ita enim ait: *Non raro in antiquis Christianorum tumulis reperiuntur vascula figulina carbonibus oppleta, quae ad thus suffumigandum apposita nemo negabit* (4).

81. Duo supersunt assueti Quiritium mores in funere, quorum alterum et hic Bononiae vidimus huc usque servatum, alterum ubique obsoletum: primum nempe in cadaveris collocatione assignamus, quod lecto compositum, septumque candelis etiamnum in vestibulo domus collocant, ut rigidos in portam defunctus calces extendat eo penitus modo, quo veteres cadavera collocabant Quirites (5):

Hinc tuba, candelae; tandemque Beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

82. Alterum in epulis ponimus mortualibus, jamdiu omnino obsoletis. Quanto Quirites impendio, ut vita functorum memoriam colerent, mortuales pararent epulas, latius alibi (6) disseruimus. Quantis ubique sumptibus, ducto a Romanis exemplo, Christicolae, et martyrum, et clariorum hominum obitum epulo publico celebrarent, eodem explicavimus loco, et hac eadem oratione tractavimus. In his porro conviviis, licet bellissime institutis, temulentia ita vigebat, ut socius a socio ad ebrietatem cogeretur: *Temulentia* (7), ait auctor libri de duplici martyrio, *adeo communis est Africae, ut propemodum non habeatur pro crimine. An non videmus ad memorias martyrum Christianum a Christiano cogi ad ebrietatem?* mos igitur est sub Leone Magno ab Arelatensi (8) concilio dam-

(1) Virg. Aeneid. 6.
(2) Martial. l. 11. ep. 54.
(3) Urb. quaest. l. 3. dissert. 4.
(4) Mabillon, sive epist. Eusebii secundae aedit. p. 17.
(5) Persius satir. 3.
(6) Urb. quaest. l. 3. dissert. 3.
(7) S. Cyprian. sive auctor libri de dupl. martyrio.
(8) Concil. Arelatens. III. canon. V.

damnatus his verbis: *Quis enim nesciat diabolicum esse, et non solum a Christiana religione alienum, sed etiam humanitati contrarium, ibi laetari, cantare, inebriari, et cachinnis ora dissolvi, et omni pietate, et affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus, et planctus flebilibus vocibus debuerant resonare?*. Caeterum sicuti Romae mathematici, quia pergrati cupidis, et curiosis, genus erat hominum, quod ut ait Tacitus (1) *in civitate vetabitur semper, et retinebitur*: et sicuti dilecta populis gladiatorum spectacula, licet (2) per Constantinum Augustum usque a salutis nostrae anno 325. interdicta, adhuc Italia ferme tota ad annum 404. et ultra perdurasse (3) jam liqueat, ita hunc epularum apparatum, sacris licet legibus iterum, iterumque intercisum, ad Carolum usque Mannum radices egisse separata jam oratione monstravimus (4), tandem crebris undique praesulum ictibus malesana consuetudo penitus occubuit.

83. Verum a mortuis, et a funeribus ad laeta veniamus: et sicuti de epulis egimus, duo nobis circa panem, et potum notanda occurrunt. Potum praecalidum nedum in moribus apud Romanos, verum et in deliciis ita fuisse constat, ut licet potionis calidae morem Christicolarum plerique acceperint, sanctiores tamen pro luxuria habuerint, ac refutaverint. Nil igitur apud veteres inempto frigidae poculo dari poterat vilius; calidam enim emebant. Quare non abs re Servator noster dixit: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (5): quo sane in loco haec perbelle Augustinus advertit: *Quando pauper est qui facit eleemosynam, nunc debent eleemosynae ejus esse calix aquae frigidae* (6).

84. Equidem in eam lubens descendo sententiam, ut credam Servatorem nostrum eum absque praemio non abiturum dixisse, qui vilissimum inemptae aquae poculum uni ex minimis praebuisset. Quod autem veteres calidam in usu, ac deliciis haberent, tabernaeque calidae vendendae prostarent, paucis ostendam: et quidem primo haec (7) ait Varro: *Calix a caldo, quod calidam in eo bibebant*.

85. Aptius hunc nobis morem designat Seneca, dum his loquitur (8) verbis: *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui ero-*

ga-

(1) Corn. Tacit. hist. l. 1.
(2) Leg. 1. Codic. Theodos. de Gladiat.
(3) Libanius de Vita sua part. 3. S. Ambros. l. 2. officior. c. 21. Prudent. l. 2. advers. Simmac. ep. 46. l. 2. ep. 61. l. 10. leg. 2. et 3. Honorii Cod. Theodos. de Gladiator. leg. 8. Valentiniani Cod. Theod. de poenis.
(4) Dissert. 3. l. 3.
(5) Matth. c. 10.
(6) S. August. ser. XXXIX. al 13. ex homil. 50.
(7) Varro de ling. lat. l. 4.
(8) Seneca de Ira cap. 25.

gata : ad ista concitari insania est : et alio loco : *Insaniunt boni viri, pro suorum injuriis; sed idem faciunt, si calida non bene praebeatur; si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est* (1).

86. Tacitus his ait Brittanicum occisum dolis Claudii Caesaris filium : *Talis dolus repertus est. Innoxia, et praecalida, et libata gustu potio traditur Brittanico; dein, postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua effunditur venenum* (2). Neque sane quis putet praecalidam hanc potus traditionem a communi ita more abhorruisse, ut Brittanicum calor insolens in suspicionem impellere debuisset: fervens enim potus ita erat acceptus, ut vinum potius sorbere, quam bibere gratum esset: quod nobis praestat illis optime Plautus versibus (3).

Pa : Prompsisti tu illi vinum? Luc. Non prompsi. Pa: Negas?
Neque tu bibisti? Luc. Dii me perdant, si bibi,
Si bibere potui. Pa. Qui jam? Luc: Quia enim obsorbui,
Nam nimis calebat, amburebat gutturim.

87. Mos, ni fallor, probatus est, modo deliciae. Equidem (4) Svetonius a Cajo Caesare cauponem scribit capitis damnatum, qui in Drusillae funere calidam vendidisset: idemque ait, Claudium, quem nimias censorio munere lautitias reformare decebat, tabernarum usum, ubi calida praeberetur (5), interdixisse, atque inde est, quod Tiberii, utpote meracissimi, ingeniose nomini illuderent acutiores Romani, quippe quibus Tiberius Claudius Nero *Biberius Caldius Mero* lepidissime diceretur (6).

88. Quid, quod sequiori usque tempore Ampelium Urbis praefectum jussisse ait (7) Marcellinus ; *Ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgariam calefaceret quisquam.* At nemo nobis Judaeo erit aptior Philone, qui calidam apud Hebraeos in deliciis fuisse ostendat: en ejus (8) verba ; *Vinum per eos dies, non praebetur, sed aqua limpidissima, caeteris frigida, CALIDA vero his, qui inter seniores TRACTANTUR DELICATIUS*. Optima igitur cum ratione locutus est Jesus D. N. non absque praemio abituros, qui frigidae poculum praebuissent, ut liberalitati quam minimae, munifice se responsurum ostenderet.

89. Ad Christicolas a Romanis calidae usus effluxit, ac perduravit, quousque barbari rerum potiti omnem susque deque vivendi disciplinam, moremque sustulere. Verum monachi, quippe qui-

(1) Senec. ib. c. 12.
(2) Tacit. Annal. l. 13.
(3) Plaut. Miles Glor. act. 3. sc. 2.
(4) Sveton. in Caligul.
(5) Sveton. in Claud.
(6) Sveton. in Tiber.
(7) Ammian. Marcellin. hist. l. 28.
(8) Philo in lib. de Vit. Theoretica.

quibus, tamquam rigidiorem vivendi normam professis, calidam etiam aegrotis absorbuisse luxuria fuerit, a calida, tamquam a luxu, abstinebant: cujus rei testis est Hieronymus, haec scribens: *De cibis vero, et potu taceo; cum etiam languentes monachi frigida utantur, ut coctum aliquod accepisse* LUXURIA SIT (1).

90. Dixi de potu: pauca quaedam de pane advertenda supersunt. Mihi quidem sacras persaepe paginas pervolventi, numquam incidendi panis, semper, et ubique, frangendi verbum occurrit. Servatorem enim nostrum a binis agnitum in fractione panis discipulis, Paulum vero de frangendo pane, non de incidendo, locutum esse perlegi (2). Quae igitur causa fuerit, inquiram. Mos erat sane Romanis panem conficiendi quadrifide sectum, sive signatum, ut quatuor sic redderet partes, quarum quaelibet quadra diceretur: itaque decussatum ita panem frangebat, suam cuique quadram distribuebat; ut proinde panis hujusmodi non incidi, sed frangi hac divisione opus esset. Quod de panibus dictum est, et de placentis volumus dictum.

91. At quaenam panis causa quadrifidi? Brevibus accipe. Id sane in conviviis Romanorum fixum erat et ratum, ut sua quibusque convivis ciborum portio distribueretur, prout alibi late ostendimus (3). Quadra igitur tam placentae, quam panis, portio erat singulis distribuenda convivis, quia ante coctionem quadrifida pistor panem, placentamque, decussione signabat. Quare parasiti, et lurcones, qui coenas potentium captantes, alieno pane vivebant, *aliena* sane dicebantur (4) *vivere quadra*, si Juvenalem audiamus.

Ut bona summa putes aliena vivere quadra,

a quo nec dissentit Venusinus, dum ait (5):

Qui dicit, et clamat: victum date: succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra,

quod vero de pane, duplici de placentis loco Martialis scripsit (6):

Nec te liba juvat, nec sectae quadra placentae
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurimum quadra de placenta (7).

Quadrifidum ergo panem nullo modo secare, aut incidere, sed frangere opus erat, ut sua quemque quadra contigeret; quare Paulus a Julio cohortis Augustae centurione navi Romam ductus post pas-

(1) S. Hieron. in ep. 22. ad Eustochium.
(2) In Evangel. et in Act. Apostol.
(3) Urb. quaest. l. 1. dissert. 2.
(4) Juvenal. sat. 5.
(5) Horat. epistolar. l. 1. epist. 18.
(6) Martial. l. 3. epigr. 77.
(7) Idem l. 9. epigr. 91.

Digitized by Google

passam atrocem tempestatem reliquas custodias Adrumetina rate secum advectas, ad cibum sumendum hortatus est, ac panem fregisse dicitur (1).

92. At dicet fortasse quispiam; quid Christo, quid Paulo, quid demum Judaeo cum Romanis? Quid porro tam disjectum, quam mos a Judaico Romanus? Bona verba quaeso. Ajo enim primo quosdam apud gentes ferme universas communes ita fuisse vivendi mores, ut nullo dividerentur forte discrimine. Equidem calidae usum aequo sane jure apud utrosque vidimus viguisse: quippeni, et idem de pane censendum? Accedit ad haec Judaeos (praeter inviolatum Dei cultum, pro quo extrema esse ferenda ducerent) in civilibus aliquibus vivendi modis, maxime postquam in ditionem venere Romanam, moribus se facile accomodasse Quiritium: hinc expressas in denario Caesarum non recusarunt imagines; alias Servator noster illis non potuisset Pharisaeos, Herodianosque verbis increpare dicens: *Cujus est immago haec, et inscriptio* (2)? Praeterea turrem conspicuo fastigio Antoniam in honorem (3) Marci Antonii ab Herode appellatam, Caesaream urbem a Caesare nuncupatam, theatra voluptatibus, antea ignotis, erecta more Romano quis est, qui ignoret (4)?

93. Per bellum fortasse Romani moris acceptum in funere exemplum tradit (5) Matthaeus, quod vidimus huc usque a nemine animadversum, nedum notatum; itaque et notabo et adnotabo. Romani sane moris erat tubicinum cantu funus ornare, nedum cum quis funere elatus esset, quod scriptores ferme omnes tradunt, verum etiam cum quis, morti proximus, animam ageret, et nondum efflasset, quod ante Scipionem Maffejum, ex tribus id colligentem (6) anaglyphis, sibi adhuc notavit nemo: ex qua sane Scipionis observatione obscurus ille maxime elucefcit Petronii locus, quem clarissimorum tot tantorumque interpretum adhuc nemo intellexit. De loco illo (7) ajo Petronii, in quo Circes, Polieni paralysin velut insectans, inquit: *Quod si idem frigus genua, manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas*. Interpretes sane in Petronium omnes eo tibicinum ajunt mentionem habitam, quia ipsis opus erat, cum quis funere elatus esset: e contrario foemina Polienum Veneriae operae edendae ineptum increpat uti moribundum, non uti mortuum; idemque omnino est, ac si foemina procax Po-

Bb lie-

(1) Act. Apost. c. 27.
(2) Marci c. 12. v. 15. et 16.
(3) Corn. Tacit. Histor. l. 5.
(4) Flavius Josephus Antiq. Judaic.
(5) Matth. c. 9. v. 23.
(6) In Museo Veronens. p. 420. et 421.
(7) Petron. in Satyr.

lieno dixisset: *Quoniam es paraliticus, jam incipis efflare animam, es morti jam proximus: voces igitur est necesse tubicines, ne fugiens anima maleficio affecta discedat* (1) *infernis devota numinibus, et ne quid aliud exaudiatur, quoties dirae obstrepentes* (2) *nocuerint*.

94. Jam vero tubicines, dum animam quis agebat aut egisset in Judaea civitate fuisse adhibitos colligitur ex his Matthaei (3) verbis: *Cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit*. Quid vero hic sibi vult ista tibicinum facta mentio, quid hoc *recedite* sibi vult, nisi ut tibicines, qui puellae animam efflanti, aut quae animam efflasset praesto essent, advocatos esse arbitremur? Dum dixit: *Recedite, non est enim mortua*: recessionis hanc sane adsignavit causam: *Non est enim mortua*: quod idem omnino est, ac si dixisset: *Vos tibicines ad proximum advenistis funus; atqui funus abest: non est mortua puella, sed dormit. Recedite ergo, quia cum mortua non sit, nil cum vobis*. Si ergo: *Recedite*: dixit tibicinibus, ex quo puella dormiret, non lethali somno oppressa esset, quia nempe illam ipse ad vitam revocaturus erat: ex hoc recte conijcitur Romanum ad Hebraeos transiisse morem tibicinorum ad funus adhibendorum.

95. Neque ex quo Matthaeus de principis filia loquatur, de filia Romani cujusdam, qui magistratum gereret loquutus censeri potest; nam Matthaeo Marcus lucem affert; qui, dum eamdem describit historiam, principem hunc narrat fuisse archisynagogum (4) ut nullus dubitationi supersit locus, Romanum morem archisynagogo probatum, improbari a plebe non potuisse. Quod si Judaeos accepisse morem dicamus, non sane parum cum Judaica religione, spectata causa, quae apud ethnicos ad morientium lectum tibicines accersebantur pugnantem (tibicines enim morientium lectulis obstrepebant, ne animae excantarentur corporibus discessurae; quod maleficio (5) putabant posse evenire) cur civilem omnino atque innocuum panis conficiendi, frangendique morem refutasse authumemus?

96. Morem hunc quadrifidi panis nostris fuisse acceptum, ratumque Christicolis, probant perbelle marmorea illa, vitreaque monumenta, e martyrum coemeteriis clarissimorum opera virorum effossa, ac publici juris (6) facta. In his quadrifidi visuntur in-

(1) Corn. Tacit. Annal. l. 2.
(2) Plin. l. 28. c. 2.
(3) Matth. d. c. 9. v. 23.
(4) Marc. c. 5. v. 38. et 39.
(5) Museum Veron. Corn. Tacit. et Plin. loc. cit.
(6) Marc. Anton. Boldett. l. 1. cap. 39. p. 208. n. 38. et 39.

insculpti panes, eoque acceptiores Christicolis, quo decussatio illa Crucis formam praeferret: quare ad sacras synaxes hisce panibus usos Christicolas eadem aperte monumenta testantur, inter quae lapis nitet ille a Pontiani coemeterio in lucem editus, ubi calix apparet tribus cum super impositis panibus, quadrifida cruce signatis exculptus (1).

97. At nedum conficiendi panis, frangendique dicimus consuetudinem accepisse Christicolas, verum etiam et obsonia cuique dividendi, atque adsignandi. Sicut enim suam Quiritium cuique convivii rex portionem, domum etiam ferendam adsignare jubebat, ut alio (2) fuse loco observavimus, ita in Christianorum epulis sua unicuique portio adsignabatur. Egregium nobis hujusce rei praestant exemplum Clementis constitutiones, quibus haec perbelle (3) traduntur: *Separetur autem convivio, quod pastori consuetum est dari, etiam si convivio non adsit, in honorem Dei, qui ei sacerdotium commisit: quantum autem unicuique seniorum datur, ejus duplum detur diaconis in honorem Christi: presbiteris vero, qui laborant in verbo doctrinae, duplex quoque separetur pars in gratiam Apostolorum Domini, cujus locum sustinent, tamquam consiliarii episcoporum, et ecclesiae corona: si lector sit, capiat unam partem &c.*

98. Verum μηδὲν ἄγαν: sarcinulae colligendae. Prolixae huic igitur nostrae orationi finem imponam, duas leviter attingens consuetudines, quarum altera toto pene adhuc Orbe, altera vero in extrema illa tantum Piceni regione Samnio contermina, ac praecipue inter villicos, viliorisque notae homines Asculani nostri municipii inviolata servatur. Prima respicit diem, non a solis ortu, sed a media nocte auspicandum, prout universa etiamnum auspicatur Ecclesia. Morem hunc a Romanis defluxisse a Censorino clare colligimus, qui diem nocte a media testatur auspicatos esse Romanos (4); sed et Romani ab Aegyptiis forte deduxere, apud quos indubie servatum.

99. At licet nobis Censorinus praesto non esset, idem ex celebri quodam Tullii loco bellissime erueretur. De illa Marci nostri loquor epistola, quae, licet festive scripta videatur, est tamen scripta miserabiliter; consulatum enim narrat Caninii, qui eadem die consulatum iniit, atque ejuravit; pridie quippe kalendas Januarias hora sane diei septima renunciatus est consul, ut ante kalendas, hoc est die consulatum eodem ejuraret. Itaque sic ait Cice-

(1) Idem ibidem. Arringh. l. 6. p. 238.
(2) Supra dissert. 2. l. 1.
(3) Ex Clement. Constitut. lib. 2.
(4) Censorin. de die Natali cap. 19.

10 (1): *Consulem hora septima renunciavit, qui usque ad kalendas Januarii esset, quae erant futurae mane poſtridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse; nihil tamen mali eo consule factum; fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Haec tibi ridicula videntur, non enim ades, quae si videres, lacrymas non teneres.*

100. Jam vero neminem in Caninii consulatu prandisse facile intelligo; dum enim hora diei septima renunciatus est consul, sexta, qua prandebant Quirites, lapsa jam erat; diei vero sexta sequentis alterum spectabat consulem. At mirificam ita fuisse consulis vigilantiam, ut toto suo consulatu somnum non viderit, non ita facile intelligo: si enim septima renunciatus est hora, atque ad kalendas usque consul erat Januarias, ut ut essent kalendae futurae mane postridie, intermedia nox tamen aderat, qua et somnus videri, et tanta poterat vigilantia intermitti. Quid ergo ait Cicero, Caninium tam spectatae fuisse vigilantiae, ut toto suo consulatu somnum non viderit? Paucis rem Gothofredus (2) absolvit: *Dies*, ait is, *more Romano, seu civili* XXIV. *horis finitur, quarum* XII. *diei, totidem noctis: initium autem diei a media nocte. Quare cum hic Caninius hora septima post ortum Solis pronunciatus fuerit consul somnum videre non potuit; nam posteriores sex horae noctis ad Kalendas pertinent, priores vero insomnes ductae ab occupatissimo tum consule.* Cum igitur kalendae Januariae a media nocte inciperent, hoc est a septima auspicarentur noctis hora, en, cur Caninius primis sex noctis horis in rebus consulatus gerendis occupatissimus somnum videre non potuit; noctem quippe post mediam sub alieno consulatu erat obdormiendum.

101. Altera consuetudo, quam ab Asculanis praesertim villicis vidimus, religiose observatam, stigmata illa respicit, sive puncturas in cute victuras, quibus brachio, aut manu aliqua notatur imago nunquam delenda. Res ista sane ab eo veteri Quiritum more ducit exemplum, de quo Vegetius haec (3) loquitur: *Puncturis in cute punctis* (alii legunt: *Puncturis in cute victuris*): *milites scripti, et matriculae inserti jurare solent.*

102. Itaque cum militiae adscriberentur tyrones, ut nedum adnotatione manifesti essent omnibus, verum etiam ut latitantes, desertoresque agnosci facile possent, puncturis quibusdam in cute inflictis, atque ita designatis ut vel nomen, vel imaginem praeseferrent, stigmata quaedam efficiebant, quae, medio atramento, cu-

(1) M. T. Cic. epistolar. l. 7. ep. 30.
(2) Dionys. Gothof. in notis ad Tullium in citat. epist.
(3) Veget. l. 7. c. 5.

cuti recens punctae, instillato aeternum permanebant, ut vel hodie videre est penes villicos, aliosque in dicto municipio viliores notae homines, qui vel brachio, vel dextera, Crucis referunt, aut Deiparae, aut martyris Mindii imaginem puncturis hisce confectam. Ajo autem *Mindii* non *Emidii*, nec *Emindii*, et multo minus *Emigdii* nam gentem Mindiam apud rei Romanae (1) scriptores invenies; Emindiam vero, aut Emigdiam nusquam invenies. Si parumper a via descivimus, Sodales ignoscite; id enim nostrae fit charitate patriae, ubi nomen adhuc protectoris principis ignoratur. Equidem dum mei municipii praetor essem, inscriptas medio aevo, atque etiam inclinatiore, pervolvens patriae paginas tam Latinas, quam Italas, non semel incidi in hujus mentionem nominis ita expressi: *Sanctus Mignus*. *S. Migno*, quod meam videtur confovere sententiam, cur Mindius dici debeat: quidquid egregius sodalis olim meus, meique amantissimus, et summa praeditus eruditione, ac doctrina in sua Asculana historia (ubi multa me saepe cum laude nominat) praesul Marcuccius nunc Constatinopolitanus patriarcha ac Romae Vicesgerens scripserit,quem tamen censeo nedum laudandum,verum etiam consulendum (2). Quod si versus in martyris sarcophago hic insculptus inspicitur:

Cum sociis aliis Emindius hic requiescit

facile est coniicere pessimum poetam, ne syllaba carmen deficeret, Mindii nomen expressisse adspiratum. Coeterum vel ex eo monumento colligitur ipsum, nec Emidium, nec Emigdium fuisse appellatum.

103. Verum dum haec scriberem, mihi met ipsi quandoque dicebam: quid Gallo huic tuo cum Romanis nominibus? Nonne de Treverorum gente tuus hic manat episcopus? Si ortum Romano duxisset genere, coniectura tua forte laudanda; atqui homini peregrino Romana et nomina peregrina censemus. Unam igitur scriptis adposuissem lituram, nisi plura succurrissent argumenta, quibus firmiorem reputassem nostram perbelle sententiam.

104. Ajo igitur Gallos non omnino peregrinos; multos affirmo, Romana etiam libertate vigente, civitate donatos; Caesarum autem aevo Gallos sane omnes cives fuisse censeo: Tiberiano nempe plures, Claudiano plurimos, Galbiano universos; quare et Romanis eos censeamus oportet fuisse nominibus nuncupatos. Si id probavero, meam liberabo fidem, meam liberabo sententiam.

 105. Mo-

(1) M. T. Cic. epist. Famil. l. 13. epist. 26. et 28. et l. 15. ep. 17.

(2) Stor. d' Ascoli p. 202.

105. Moveor igitur primo a nitido Marci Ciceronis elogio (1) quo Gallos constat populi Romani fratres fuisse dictos, licet nondum Romana civitate donatos. Quid quod Julius Caesar nedum ex Gallis, licet semibarbaris, plures accivit cives, verum etiam in curiam recepit? Id sane conceptissimis his (2) Svetonius tradidit verbis: *Civitate donatos, et quosdam e semibarbaris Gallorum recipit in curiam*: quare cum Laberius Mimus aureis fuisset annulis a Julio ornatus, nec tamen in equestribus sedere potuisset, ab equitibus in theatro pulsus universis, postquam eum Marcus Tullius prope se transeuntem vidisset: *fecissem*, ait, *locum, nisi et ipse anguste sederem*: Caesarem ita insectans, quod Gallis nedum equestria, verum etiam senatoria hominibus sedilia complevisset (3).

106. Enim vero Treveros, atque Aeduos, qui caeteris Galliae praestabant populis, Tiberiano usque aevo Romanis constat praeditos esse nominibus: inter ipsos quippe Julius Florus, Julius Sacrovir, Julius Paullus, Claudius Civilis, Julius Tutor, Julius Sabinus recensentur: ita enim de illis loquitur (4) Tacitus: *Cujus extimulator accerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Aeduos Julius Sacrovir*: et alio loco (5): *Miscuere se Julius Tutor, et Julius Sabinus, hic Trevir, hic Lingon*: ac tandem alio (6) loco: *Iisdem diebus caesos exercitus, capta legionum castra hiberna, descivisse Gallias, non ut mala loquebantur. Id bellum quibus causis ortum expediam. Julius Paullus, et Claudius Civilis regia stirpe multo caeteros anteibant.*

107. Cur autem Romana his nomina Gallis imposita? Non aliunde sane, quam a Romana illis donata civitate arbitror evenisse. Nomen enim non Romanum aut peregrinitatis, aut servitutis, erat argumentum. Quam ob rem dum servi ad libertatem admitterentur, in dominorum, qui manu eos mittebant, familiam, ac civitatem admittebantur, ut proinde patroni praenomen, nomenque acciperent, cognomine tantum retento peregrino, ut ab agnatis patronae distingui familiae possent. Igitur duo illi Marci Ciceronis servi, Tiro, et Laurea, dum liberti effecti sunt, Marcus Tullius Tiro, et Marcus Tullius Laurea sunt dicti; Aemiliamque illam Musam, de qua meminit Tacitus (7), Aemiliae fuisse gentis libertam ponit indubie Lipsius (8): *Argumenta cognominis Graeci* (sunt ejus

(1) M. T. Cic. epist. familiar. l.7. ep.10. et ad Atticum l. 1. ep. 16.
(2) Sveton. in Jul. Caes. c. 76. Plutarch. in Jul. Caesar.
(3) Macrob. Saturnal. l. 2. c. 3. Middleton vita Ciceron. t. 3. p. 172.
(4) Cornel. Tacit. edit. Antuerp. annal. l. 3. p. 47.
(5) Idem historiar. l. 4. p. 207.
(6) Idem historiar. l. 4. p. 97.
(7) Tacit. Annal. l. 2.
(8) Just. Lipsius ad l. 2. Annal. Tacit. in Commentar.

ejus verba) *quod scio notam servitutis*: verum ita vulgati juris haec sunt apud quosque lapidariae vetustatis amatores, ut teste non egeant. Servis igitur libertate donatis, proindeque in patronorum familiam, tribum, ac civitatem adscitis, nomina statim Romana aptabantur, ut plures cultioris notae homines (1) adnotarunt: inter quos clarissimus eminet (2) Muratorius, vetustum exhibens lapidem, ubi servus domino carus immature diem obiisse dicitur:

Qui, si vixisset, domini jam nomina ferret.

hoc est e servo libertus esset effectus.

108. Itaque Gallos, quos Romanis invenimus nominibus nuncupatos, fateamur fuisse oportet civitate donatos. Quam ob rem Treveros merito ipsos Romano dictos nomine vidimus, quia Treverorum urbem Tacitus coloniam appellat, dum ait: *Cerialis postero die coloniam Treverorum ingressus est* (3).

109. Quid, quod primores Galliae Claudiano usque aevo nedum civitate donati, verum etiam senatoria aucti dignitate, et in curiam admissi? *Aulo Vitellio* (Taciti verba refero) *Lucio Vipsanio consulibus cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera, et civitatem Romanam PRIDEM ADSECVTI, jus adipiscendorum in Vrbe honorum expeterent, multus ea super re, variusque rumor* (4). Claudius ipse Imperator pro Gallis ita disseruit, ut senatus consulto fuerit sententia Caesaris confirmata. Quod si primores Galliae in curiam fateamur admissos, id de Treveris majori cum ratione dicamus oportet: siquidem ut clarissimus (5) scriptor observat: *Horum inter Gallos virtutis opinio erat singularis*: quin immo si Tacito fides habenda sit, Treveri ita erant in superbiam elati, ut se Gallos nuncupari dedignarentur: *Treveri* (sunt ejus verba) *circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine, et inertia Gallorum separentur* (6).

110. Verum si primores Galliae et civitate donatos, et honore curiae adauctos Claudiano aevo legimus, universos Galliae populos Galbiano fatendum erit fuisse civitate ornatos ex clarissimis illis Taciti nostri (7) verbis: *Galliae obligatae recenti dono Romanae civitatis*. Quibusdam sane in hoc Taciti loco haeret aqua: quomodo enim, ajunt, recenti Galbae dono Galli jus ci-

(1) Lipsius elector. 1. c. 23. Cantelius de Rom. Rep c. 3. Tertull. de Resurr. Carn.
(2) Lud. Murator. dissert. 14.
(3) Corn. Tacit. histor. l. 1. p. 211.
(4) Cornel. Tacit. Annal. l. XI.
(5) Raimund. Marlian. post Caesar. Commentar. verb „ Treveri.
(6) Corn Tacit. de Morib. Germanor. circa fin. p. 225.
(7) Idem historiar. l. 1. p. 142.

civium adepti, si sub Claudio adeptos idem affirmat Tacitus? Quaestionem ita expedit Lipsius: *Olim quidem jus civium adepti, non tamen promiscue, sed primores tantum: primores Galliae, inquit Tacitus, quae Comata appellatur: sed jam ecce a Galba diffusum jus in omnes Gallos* (1).

111. Si ergo primores Galliae, Claudio principe, et civitatis, et curiae sunt jus adepti, si Galli a Galba universi civitatis dono obligati, quis nam quaeso ibit inficias martyrem Mindium, e primoribus ortum Treverorum, civem fuisse Romanum? Quisnam barbaro potius, quam Romano asseret nomine nuncupatum? quis tandem nostram non omni absolutam discrimine judicabit superius panditam conjecturam?

112. Tandem ut martyrem nostrum non Emigdium, nec Emidium, neque Emindium, sed Mindium constet fuisse dictum, ad antiquas patriae paginas, ubi *S. Migno* invenimus nuncupatum patrius accedit διάλεκτος, sive ἰδιωτισμός; dum enim Asculani municipes martyrem Mindium invocant, principem municipii patronum, non sane *Emindio*, aut *Emidio*, aut *Emigdio* dicunt, sed vernacula hac voce nuncupant *Mindii Middivol Middiola Minì*: quod nedum probat, verum ostendit a nomine martyris Mindii illam, quae nunc praeponitur, primam omnino abfuisse vocalem.

113. Sed redeamus ad nostra. Tyronibus igitur nedum haec stigmata inhaerebant brachio, vel dexterae infixa; verum etiam puncturis, signa sub quibus militabat praeseferentibus, tyro quilibet scribebatur: cujus rei testis est nobis Vegetius, qui haec (2) scribit: *Punctis signorum scribendus tyro*.

114. Ad quamdam tyronum similitudinem stigmata haec fabricensium brachiis infligi jussa, prout ex his Caesarum (3) verbis resultat: *Stigmata hoc est, nota publica, fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur*. Idem sane aquariis fuit his (4) verbis indictum: *Universos autem aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophilaces nominant, qui omnium aquae ductuum hujus regiae Urbis custodes deputati sunt SINGULIS MANIBUS EORUM FELICI NOMINE PIETATIS NOSTRAE IMPRESSO SIGNARI DECERNIMUS, UT HUJUSMODI ADNOTATIONE MANIFESTI SINT OMNIBUS, nec ad usus alios avellantur. Quod si quem ex iisdem aquariis mori contigerit, eum nihilominus, qui in locum defuncti surrogetur, signo eodem no-*

(1) Just. Lips. in Tacit. histor. l. 1. in not. p. 2.
(2) Veget. l. 1. c. 8.
(3) Leg. 3. Cod. de Fabricensibus.
(4) Leg. 10. §. Universos Cod. de Aquaeductu.

notari praecipimus ; *UT MILITIAE QUODAM MODO SOCIATI, EXCUBIIS AQUAE CUSTODIENDAE incessanter inhaereant, nec muneribus aliis occupentur*. Ex his, ni fallor caput Apocalypsis XII., nitorem accipit non tralatitium. Dum enim Joannes venturum loquitur Antichristum, ac tyrannicum ejus praenunciat imperium, eum ita superbum dicit, ut nedum populos longe lateque propriam adorare coget imaginem, verum etiam (refero propria (1) ejus verba : *Faciet omnes habere caracterem IN DEXTERA MANU SUA, et ne quis possit emere, aut vendere nisi qui habet characterem aut nomen bestiae*. Quid vero sibi aliud vult *nomen istud IN DEXTERA MANU*, quam bestiae nomen, expressis in dexterae cute puncturis in hominum dextera, infligendum eo penitus modo, *quo tyronibus, aut aquariis stigmata infligebantur vel militare signum, vel nomen reddentia Caesareum*. Eo autem et allusisse Gothofredo videtur, nulla tamen non dicam firma, sed ne probabili quidem ratione, gentium Apostolus : *Non sane tyro* (utor illius (2) verbis) *sed miles, et quidem magnus Jesu Christi Paulus* : dum uni militiae Christi deditus haec ad Galatas (3) ait : *De caetero nemo mihi molestus sit ; ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto*.

115. Plurima superessent circa varias vivendi consuetudines adnotanda, quae, a Romanis ad nos traductae, vel viguere, vel vigent : non pauca circa mores remanent explicanda, quae vel statim acceptos probant, vel defaecatos, vel denique a prophanis usibus conversos, et summa cum laude sanctificatos. Si Deus otia fecerit de his aliquando scribam ; at maximis modo negociis distento, et cui otioso esse non liceat, pauca haec dixisse sit satis.

Nonis Quinctilibus 1781.

Philippus Trenta pro S. R. E. Legationis Bononiae Generalis Auditor.

FINIS LIBRI TERTII.

IN-

(1) Apocalips. c. 12. v. 15. 16. et 17.
(2) Dionys. Gothofred. in leg. 3. Cod. de Fabricensib.
(3) S. Paul. ad Galat. c. ult.

Digitized by Google

INDEX
URBANARUM QUAESTIONUM.

LIBER PRIMUS.

Diss. I.	*QVid sint proprie Castus multiplices flamini diali impositi.*	Pag. 1
Diss. II.	*De coenis, ac legibus sumptuariis.*	p. 9
Diss. III.	*De barbis.*	p. 29
Diss. IV.	*De varia comae, aut barbae tondendae ratione victis a victoribus imperata.*	p. 41
Diss. V.	*De flagris, et fustibus.*	p. 45
Diss. VI.	*De nocturnis deambulonibus.*	p. 49

LIBER SECUNDUS.

Diss. I.	*DE balneis.*	p. 53
Diss. II.	*De praetextato, et praetexta, cum duabus orationibus in sumendis, ponendisque fascibus.*	p. 59
Diss. III.	*De obaeratorum dissectione.*	p. 71
Diss. IV.	*De Vesta, et vestalibus.*	p. 91
Diss. V.	*De moechis bustuariis.*	p. 104
Diss. VI.	*De seviris augustalibus.*	p. 116

LIBER TERTIUS.

Diss. I. *De sacro apud Christianos usu cereorum, et lucernarum.* p. 125

Diss. II. *De neophitorum ad superstitiones gentium retinendas proclivitate.* p. 137

Diss. III. *Quos Romani mores erga defunctos servaverint, quos Christicolae acceperint.* p. 147

Diss. IV. *De veterum sententia Christianorum in servandis cadaveribus propter mortuorum anastasim.* p. 154

Diss. V. *De sacris choreis.* p. 158

Diss. VI. *De diversis gentium ritibus ad Christicolas derivatis.* p. 162



A.R. delt. *I.B.S. scul.*

VAG 201411P

Digitized by Google

Digitized by Google

Pr[illegible]

6. [illegible]

9. 19. [illegible]